

Ms. 9. II, 113.

X 187 6081

n. 25, 3.



BILANX

JUSTÆ POTESTATIS

I N T E R

PRINCIPES

A C

STATUS IMPERII

C U M

IMPERATORE & ELECTORIBUS

C I R C A

Concursum ad Publica Imperii Germanici Negotia:

Iustô expensa pondere,

Ac Publicâ Disputatione

EX SPECIALI PERMISSIONE AC CONSENSU MAGNIFICÆ
ET AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ

HUJUS ACADEMIÆ:

PRAESIDE

IUSTO WOLRAD BODINO,

Juris LICENTIATO,

Respondente

JOHANNÉ HENRICO

BAXMANNO,

Oldendorpio - Schaumburgicô,

Publica ventilationi proposita

IN AUDITORIO JCTORUM

Ad diem Martiï, horis consuetis.

RINTHELLI. Typis Godofredi Calpari Bächters / Acad. T. An. 1689.

Bilanz justæ potestatis inter Principes ac Status Imperii.
Vol. XXI. 5.

V. 2.





Præfatio.

PERICVLOSVM ESSE, DE PRINCIPVM PO-
TESTATE DISPVTARE, commune inter o-
mnes diu erbium est; Ipsi Imp. Gratian. Valent. &
Theod. sacrilegii damnant illum, qui audacter de
Principali iudicio iudicare fuerit ausus, in l. di-
sputare 3. C. de Crim. Sacrileg. Dii quippe terreni sunt, prout
ipsa Sacra Scriptura hac voce eos appellat, vid. Exod. cap. 4. v.
16. cap. 21. v. 6. & cap. 22. v. 28. Psalm. 82. v. 1. & 6.
item Johan. cap. 10. v. 35. & passim. quos vel dictis vel fa-
ctis ledere piaculum est; Quapropter etiam Leges Imperii
publicæ gravissimam iis comminantur pœnam, qui iura Im-
peratoris Statuumque Imperii in dubium vocare non erube-
sunt, quod ex nuperrima Capitul. Imp. Leopold. art. 2. in
fin. sufficienter discimus, dum ita legimus: Zumahlen auch
diejenige/so sich gegen jetzt ermeldten Frieden, Schluß/und
darin bestätigten Religion. Frieden als ein immertwehrens
des Bandt zwischen Haupt und Gliedern/ und den Glie-
dern unter sich selbst/ zu schreiben/oder etwas in öffentlichen
Druck heraus zu geben (als dadurch nur Aufruhr und Zwie-
tracht/ Mißtrauen und Zanck im Reich angerichtet wird)
A unter



unternemen würden oder solten/ gebührend abstraffen/ die
 Schriefften und Abtruck cassiren / und gegen die *Authores*
 so woll als *Complices*, wie erst gemeldt/ mit Ernst vers
 fahren &c. *cum quo optimè congruit* art. 5. Instr. Pac. S.
utriusque religionis magistratus. § 0. ubi hæc reperiuntur
verba: ne quisquam publicè, privatimvè concionando,
 docendo, disputando, scribendo, consulendo &c. uspiam
 impugnet, dubiam faciat, aut assertiones contrarias indè
 deducere conetur. *Nec tamèn ex hisce inferendum, o-*
mnem planè publici juris disquisitionem præcisam esse ac ve-
ritam, concessa potiùs hæc facultas est, modò contrà leges nil
asseratur. *Quare & nos suavitate studii hujus commoti,*
thema præsens exercitio Academico subjecimus, ac jura Prin-
cipum & Statuum ex legum imperii fundamentalium nervis
deducere nobis proposuimus, in quo, si hinc indè citrà spem ac
opinionem fortè erratum fuerit, Te, Benevole Lector, obnixè
rogamus, benignè hæc velis interpretari, & hunc in finem ea
à nobis dicta accipere, quæ tradit Grot. de Jur. Bell. & Pac.
in fin. Prolegom.

I.N.F.



I. N. F.
PARS PRIMA

Caput Primum

De

Imperio nostro, hujusquè Capite ac
Membris in genere.

§. I.



Imperium nostrum Romano-
Germanicum, unum esse, & quidem
ultimum ex vulgò dictis quatuor
mundi Monarchiis, recepta ferè intèr
omnes opinio est, vid. *Citel Friederich
von Herden in der Vorbereitung der
Grund-Reste des Heil. Röm. Reichs* / pag. 1. §. 1. latè
*Theod. Reinkingel de Reg. Sec. & Eccl. lib. 1. cl. 2. cap. 1.
num. 3. & seqq.* latissimè *Ahasv. Fritsch. Vol. Nov. Diss.
jur. publ. exerc. 1. cap. 4. pag. 23. cum plurim. ibid. alleg. &
cap. 5. pag. 60.* Deque eo vaticinatur Propheta Daniel,
cap. 7. v. 7. quòd immensâ fortitudine suâ cœteras o-
mnes concusserit, sibi que subjugaverit. Quapropter &
illud hodie dùm adhuc omnibus Regnis, & cunctis, quæ-
cunque latissimâ orbis orbitâ, continentur, dignitate &
Majestate sublimius est, *Chassan. de Glor. Mund. part. 5.*

A 2

607-

confid. 20. Joh. Meichsn. *Decis. Cam.* 6. num. 19. tom. 5. ac nonnisi cum ipso terrarum orbe interiturum vid. Wurmser. *Exerc. Jur. Publ.* 1. qu. 8. it. Wittenbergens. *Theol. in Erklärung ihres Bedenkens vom 25 sten Tag Jan. anno 1620. §. in Betrachtung daß solches Gottes Ordnung &c.* Ipsa quippè divina Oracula perennem ei, & cum omni ævo tam felicitatem ominantur. *Dan. cap. 7. v. 9. 10. 13. 14. 22. & passim.* Dom. Herm. *Hermes in Fasc. Jur. Publ. cap. 3. num. 3. pag. 24. in pr.* quò tandem eversò nullum aliud ad finem usquè mundi futurum. *Petr. de Andlo. de Rom. Imp. lib. 1. cap. 4. circ. fin.* quidquid etiàm dicat *Conting. de Republ. Imp. Germ. Exercit. 2. §. 54.* non posse temerè probari, promitti in sacris literis Imperio Rom. æternitatem, sicuti & de quatuor futuris magnis Monarchis plùs famæ, quàm veri habere; cui brevitatis studiò repono ea, quæ habet *Reinlingck d. l. ibique*

I I.

Caput ejus IMPERATOR INVICTISSIMUS præ cœteris omnibus principem meritò sibi vendicat locum *Jacob. Andre. Crus, de Præcedent. lib. 3. cap. 2. passim.* creat enim Reges, creat Archi-Duces, Duces, Principes &c. *Dan. Otto. in Jur. Publ. cap. 10. pag. 331.* adeòque certè omnibus hisce dignitate præcedit haud vulgari, vid. *Dn. Joh. Christoph. ab Uffenbach tr. de Excell. Consil. Cesar. Imp. Aul. cap. II. pag. 126. col. 1. vers. Ja es haben Vorzeiten.* Item *Gabriel. Schweder in Introd. in J. P. part. spec. cap. 7. per tot.* imò & præ ipso Turcarum Imperatore summam ei tribuit præminentiam *Lib. Bar. à Sprinzenstein in facie Imp. Rom. mod. p. 1. num. 4.* undò *Her.*

Hermes d. cap. 3. in fin. sequentem ex Günthero versiculum refert :

Nullum Caput ista super se
Aspicit, excepto Caelorum Rege, potestas.

cum quo convenit ejusdem Güntheri in *Ligurin. de gest. Imp. Frieder. l. lib. I. in pr.*

Te solis ab ortu
Solis ad occasum, submissò vertice cuncti
Suspiciunt, Dominumque simul, Regemque fatentur,
quod & Sleidanus in *Orat. ad Carol. V.* elegantèr innuit, symbolum ejus exprimere cupiens :

Vis ULTRA? aſt ultrà non eſt, quò progrediaris,
Nil ultrà eſt Aquilas, Imperiique decus.

Hancque eandem dignitatem & Regi Romanorum competere, monet Guetta *conſil. I. n. 20. 21. & 23.*

§. III.

Fulcra ejus sunt STATUS IMPERII, qui quasi partes vocantur corporis Imperialis. Myler. ab Ehrenbach *de Statib. Imp. part. I. cap. 10. §. 8. pag. 76.* quemadmodum Justinianus viros Illustres, Senatoresque partem sui corporis agnovit. *l. quisquis. §. C. ad L. Jul. Maj.* vid. quoque *l. 4. C. de Contr. Stipulat. & l. Ex Divi. 4. C. Loc. Conduct. l. ult. C. de Consul.* imperium enim nostrum corpus est mysticum, prout vocatur in *Rec. Imp. de ann. 1512. in pr. haben wir uns mit den Reichs-Ständen/gleich als ein Christlich Corpus &c.* vivique ac veri corporis imaginem repræsentat, quod per partes ac membra operationes suas exserit. Myl. *d. l. cap. 8. §. 8.* Non exigua autem res est, vocari Statum Imperii, cum ii de summa rerum non tantum consultant atque deliberent (quò respectu

vocantur Consilarii, imò Suffraganei Imperatoris eminentiores, Dan. Otto. in 7. P. cap. 17. pag. 548. Myl. d. l. part. 3. cap. 96. §. 1. & 2.) verùm etiam concludant, statuunt, atque decident, quod clarè innuit. Rec. Imp. de ann. 1500. tit. Von dem Zwanzigen &c. ibi: und wie die von des Reichs Unterthanen oder andern an sie langen oder entstehen werden / in solch vorgeschriebenen Articulen zu verhüten / für sich zu fordern / zu handeln / mit Fleiß zu betrachten / zu raheschlagen / und endlich zu beschließen. *Magna enim, inquit Schweder. part. spec. sect. 2. c. 1. §. 1. pag. 719. utiquè foret audacia & pravaricatio adversus jura publica, participationem imperii Statuum, legibus fundamentalibus præscriptam, ac in hunc diem tot repetitionibus, confirmationibusquè roboratam, quâ dudum Consortes imperii partes principales und mitinteressenten an dem statu und forma regiminis fuerunt habiti, in nudam svadendi auctoritatem reformare.* vid. Arnis. de jur. Maj. lib. 2. cap. 4. n. 17. Quam tamèn facultatem meritò iis tribuimus nonnisi præsentè in Comitii Imperatore; nam, quod ait Hyppol. à Lapide, posse Status in Comitii, ubi nec Imperator ipse, nec per legatum comparuit, de negotiis decidere, explosa certè sententia est, & omni destituta ratione; contrà naturam enim est, membra seclusò capite operationes condebitas habere posse; undè & mortuò Imperatore quiescunt tantispèr comitia; quod quidèm Paurm. lib. 1. de Idict. cap. 4. n. 3. aliter censuit, cui tamèn sufficientèr occurrit Dom. Dominic. Arum. tom. 1. discurs. Jur. Publ. 33. cap. 3. §. 5. lit. B.

§. I V.

Pari autèm ex ratione, quâ nec Status Imperii sinè
Imbec-

Imperatore, ità nec Imperator in rebus magni præjudi-
 cii statuere sine consensu Statuum poterit, *art. 3. Instr.*
Pac. §. gaudeant. 2. it. art. 39. Capit. Leop. vid. Burgold. ad
d. §. pag. 14. ex quo tamèn non sequitur, majestatem im-
perii magis in Principibus, quàm in ipso Imperatore si-
tam, quod contendit Cluten. in Syllog. rer quot. th. 26. lit. a.
& Dan. Otto in 7. P. pag. 555. cujus & ipse Author de
Grund-Feste des H. R. R. part. 1. cap. 1. pag. 12. testimo-
nium refert ex Maximil. I. Imp. quòd publicè in Co-
mitiis dixerit: Es lege des R. R. Majestät und Herr-
sichkeit nicht so woll am Rånser / als an deñnen Fürsten.
vid. Arum. tom. 1. de 7. P. disc. 18. §. 48. nec quoquè ex-
indè deducitur, Imperatorem parùm juris in imperio ha-
bere, prout vult Cæsar in. Fürstener. de Supremat. cap. 13. pag.
40. in pr. Omnià enim in imperio negotia suâ autoritate
dirigit, eaque solus proponit, ac sine ejus consensu Status
Imperii, licet omnes consentiant, decisum tamèn impe-
rii facere non possunt, sed contradicente Imperatore tam-
diù re- & correlationibus continuandum, donec vel hi
Imperatori cedant, vel eundem rationibus suis tandèm
vincant atque commoveant. Præterea quoque alia
adhuc possidet jura, quæ solus exercet ex quibus præ-
cipuum majestatis indicium elucescit, quæ vulgò RESER-
VATA appellare solent, de quibus vid. spec. tract. Dom.
Stamleri. (qui tamèn in injuriam Statuum omnia ferè
Imperii jura Majestatica soli Imperatori vindicare co-
natur) it. Dissert. inaug. Joh. Phil. Leublers Giessa habi-
tam ann. 1677. recenset quoque ea per compendium Ga-
briel. Schweder. in introd. ad 7. P. part. spec. sect. 1. c. 4.
§. 5. Nec tamen adeò majestatem Imperatori tribuere
 pos.

possumus, ut, quæcunque cum Statibus Imperii communicat, ea nullò cogente jure, sed tantùm, sicuti Paterfamilias, qui uxorem familiæ gubernationis participem facit, nihilominùs supremam, eamque solitariam ejusdem potestatem sibi retineat, exercere consueverit, prout malè sentit suprà citatus Dn. ab Uffenbach. *d. tr. cap. 14. pag. 239. col. 2. in fin.* Ad hæc enim leges Imperii publicæ Imperatorem constringunt, adeòque non ex sola ipsius voluntate pendent, prout in seqq. ubique videbis.

§. V.

Qualem positis hisce Imperio nostro formam assignem, intèr tot, tamque varia Doctorum dogmata dubius certè hæreo; Sunt, qui, tanquàm nimii Cæsareæ Majestatis adulescentes, Imperii statum Monarchicum esse contendunt, intèr quos præcipuus Reinlingk *de R. S. & E. l. 1. cl. 2. c. 2.* Stamler. *de Reserv. Imp. §. 5. 6. 15. & passim.* Witzendorff. *in Discurs. de Stat. & admin. Imp. Rom. formâ hodiern.* Alii, Aristocraticum, in modo regiminis quid monarchici habentem, statum volunt, prout Bodin. *in Method. histor. cap. 7.* Hyppol. à Lapid. *de form. & rat. stat. Imp. Rom. Germ. part. 1. c. 17.* Quidam, confœderatum, irregularem, & planè monstruosum ei affingere non erubescunt, existimantque, modernos Imperii Principes, ad exemplum veteris Græciæ tanquàm diversas republ. & inæquales fœderatos sub Imperatore Romano vivere. Sever. de Monzamb. *de Stat. Imp. Germ. cap. 6.* Pufendorff *in tr. de Republ. Irregulari.* Oligarchicum demùm ei attribuit Dn. Eichel. *in discurs. de Republ. mixt. th. 19.* Plurimi tamèn unanimiter in id consentiunt, esse statum imperii nostri ex Aristocratiâ & Monarchiâ
mix-

mixtum Dn. Herm. Conring: *de Rep. Imp. Germ. Exercit.*
9. §. 24. pag. 485. Eitel Friedrich von Herden in der *G. D.*
H. R. R. part. 3. cap. 3. pag. 203. in fin. Burgoldens. in
notit. rer. imp. p. 3. disc. 2. pag. 13. Textor de Rat. Stat. c. 12.
p. 233. & c. 13. p. 304. in fin. & passim. Quibus tandem &
nos calculum largimur, cum in plerisque modernis Eu-
ropæ Regnis ac Rebuspubl. mixturam ejusmodi, vel, si
mavis, temperamentum aliquod deprehendere liceat.
vid. Conring. *ad Machiavell. Princip. cap 3. it: Hermes*
in Fasc. 7. P. c. 3. n. 7. qu. 4. ne facultas unius imperan-
tis illimitata in nimiam quandam decrescat potentiam,
ac ita plus commodum proprium, quam usum publicum
spectet ejusmodi administratio, quod merito damnat
Conring. *de Finib. Imp. Germ. lib. 2. cap. 19. pag. 389 & seq.*

§. VI.

Modus ac medium, quò conservari imperium o-
ptimè poterit, ac contra insulos exterorum impetus
gloriosè defendi, est ipsa inter Status ac membra con-
cinna unitas, atque amica, eaque perpetua animorum
conjunctio; *Nulla enim respubl. consumitur magis atque*
deletur, quam propriis & intestinis simultatibus, inquit Bo-
ter. *della ragion. di stato. lib. 1. f. 14. vid. omninò Luc. 11.*
v. 17. & ad Galat. cap. 5. v. 15. Coite solùm Viri Principes,
tradit Author *der Grund. Feste pag. 2. ex veteri quodam*
historico, & trepidabunt vires vestras Exteri, quibus ob inte-
stinas liticulas vilescere cœpistis; tollite ihusca illa jurgia, &
videbitis, neque terrarum orbem, neque cunctas gentes con-
globatas movere aut contundere Imperium hoc posse. & pau-
lò post: facillimè enim universi vincuntur, ubi singuli pu-
gnant. Quapropter optimè monet Generos. Dn. à

B

Es

Seckendorff im Teutschen Fürsten-Staat part. 2. cap. 2. n. 2. pag. 61. & seq. non licere penitus cuiquam imperii subdito, jura sua, quæ à priscis temporibus ita steterunt, vel vi, vel aliò quolibet modò augere aut dilatare; nec è contrariò quoque quemvis imperii Principem pati debere, sibi ab aliis sua jura minui atque everti; Non enim poterit respubl esse salva, nisi & alii suum relinquam, & mihi, quod meum est, defendam; plurimum quippè quandoque interest, nè quis in statu ac jure suo conturbetur, undè accuratissimus Author Joh. Wolffgang. Textor de Rat. Stat. cap. 8. pag. 171. in pr. optimè ait, in hoc arcano consistere rationem status Electorum, præprimis Secularium, ne comprobent illas actiones, quibus autoritas & potentia cæterorum Statuum, ne nimia sit in publicis, aliquantùm cohibetur. Quænam verò sint ea, quæ Statibus Imperii circa administrationem hujus universi competunt jura, ex genuinis juris publici fundamentis in sequentibus ostendere, pro viribus ingenii allaborabimus.

Caput Secundum.

De

Statibus Imperii in genere, eorumque constitutione.

§. I.

Priusquam ad ipsa Statuum jura digrediamur, haud inconcinnè in originem eorum paululum erit inquirendum, omnis enim res, exemplo Gaji Jcti in l. l. de O. f. à suis principiis atque origine est re-
peten-

petenda. Vocantur autem Status (qui & Proceres Imperii, & Ephori speciales, Cæsari proximè & immediatè subjecti, à DD. passim appellantur, vid. *Reinlingk. de R. S. & E. l. 1. cl. 4. c. 1. n. 3.*) vel à *STANDO*, quòd scil. legitimam habeant personam Standi in Comitibus Imperii, *Das sie Stimme und Standt in Reichs-Versammlungen haben.* vid. Dn. Schweder. *in 7. P. part. spec. sect. 2. c. 1. §. 1.* Vel à *SISTENDO*, quòd republ. sistant, & in iis tanquàm basibus atque columnis Imperium subsistat. Myl. ab *Ehrenbach de Stat. Imp. cap. 9. §. 2.* Vel demùm à *STATUENDO*, quòd in publicis Imperii rebus jus habeant decernendi ac statuendi, vid. *Illust. Dn. de Rhetz. in Inst. 7. P. lib. 1. tit. 15. §. 1.*

§. I I.

Utram tandèm ex hisce, & aliis Dd. interpretationibus admittere velis, parùm refert, cum circa vocum acceptiones haud debeamus esse solliciti, dummodò de re ipsa dubium non sit. Magna autem inter *Statum* Imperii & ejus *Civem* seu *Membrum* diversitas est; Civem namque imperii esse non statim tribuit jus Statûs, sed tantùm indicat immediatam Imperio subjectionem, quod clarè innuit *Rec. Imp. de ann. 1564. §. und wollen Wir. in verb. gegen dehnen/so nicht Stände des Reichs/ jedoch dem Heil. Reich immediatè unterworffen.* Sic Nobiles Imperii immediati, sunt quidèm membra ac Cives Imperii, minimè tamèn jus Statuum iis communicatur, cum jure sessionis & suffragii in Comitibus destituantur. vid. latè Dn. Schwed. *d. l. pag. 719. & seqq.* it: *Jacob. Blum. in Process. Cam. tit. 26. n. 47. 48. & 49.* Existimat quidèm *Besoldus in Colleg. Polit. class. 1. disp. 9. th. 16.* totum

liberum Equestrem Ordinem tanquam singularem Imperii Statum ad Comiticia antiquitus vocatum fuisse, quod facit *Ar. Ba: in fia. p. prefat.* & Bulla Sigismundi ap. Goldast. *Const. Imp. tom. 1. pag. 398.* nec non *R. 7. de Anno 1442. circ. fin. p. prefat.* Verum hodie hæc penitus abrogata esse, ipsa testatur experientia: & putat Dn. Beſold. *d. l. th. 17.* hoc in dicti Ordinis favorem factum, ne Camerae Imperialis sumtus pro rata ferre, aliaque Statuum onera subire cogereetur.

§. III.

Est itaque Status *Suppositum*, cui in Comitibus Imperii cum Imperatore, *als ein Christlich Corpus und Versammlung / jus voti ac sessionis & decidenda sententia auctoritas est.* vid. Dn. Arum. *in 7. P. tom. 1. disc. 33. c. 3. §. 8.* it: Illustr. Dn. de Rhetz *d. tit. 15. §. 3.* Consideramus autem eum vel quâ talem, & in esse suo constitutum, vel quâ constituendum, & noviter creandum. Ad posterius varia communiter requisita exigunt, circa quæ juris publici prudentes mirum quantum sese offendunt. Myler. ab Ehrenbach *de Stat. Imp. cap. 10. §. 1. & cap. 11. §. 1.* necessarium ac primarium quasi ponit requisitum, ut nomen ejus in Matricula Imperii extet, *daß er in den Reichs Matricula eingeschrieben sey;* cui quoque consentit Theod. Reinkingk. *de R. S. & E. l. 1. cl. 4. c. 1. n. 5.* it: Limn. *de 7. P. lib. 1. c. 7. v. 86. & 91.* Verum contra hos acriter meritò militat Magn. Dn. Conring. *de Republ. Imp. Germ. Exerc. 9. §. 10. pag. 472. & seqq.* dum inquit: *absurdum foret dicendum, antè Sigismundum Imperatorem, qui ann. 1431. primus omnium Imperii Ordines in matriculam referri curavit, rempubl. nostram planè civibus caruisse.*

ruisse. Adeòque sanè hæc nota Imperii Statûs fallax val-
dè atque incerta est, Burgold. *in Not. Rer. Imp. part. 3.*
disc. 7. pag. 58. dum & ipse Hermes *in Fasc. Jur. Publ. cap.*
5. n. 8. qui superiori aliàs adstipulatur sententiæ, diver-
sarum adeò matriculatum imperii grandem referat nu-
merum, quarum vix duæ ex omni parte conspirant, Limn.
rom. 1. addit. lib. 1. c. 7. n. 70. iisque inserti sunt non in-
ferendi, vid. Dom. Eric. Mauric. *diff. de matric. Imp. n. 20.*
seqq. 31. & seqq. Quaproptèr cui tandem inhærendum,
haud expeditum hætenus esse testatur Conring. *in disp.*
de German. Imperii Civib. th. 49. it: Burgold. *in Notit.*
Rer. Imp. p. 1 disc. 13. s. 4. pag. 318. quamvis communiter
asserant, standum esse ei, quæ annò 1521. Wormatiæ
publicata est. vid. Wehner. *in thesaur. pract. verb.*
Matricul.

§. I V.

Secundam notam ac genuinum indicium Statûs
Imperii esse jus voti ac sessionis in Comitiiis, daß er
Stimme und Standt in Reichs-Versammlungen habe /
post *Rec. Imp. de anno 1548.* §. wann auch ein außgezog-
gener. testantur ferè omnes, vid. *Wiel Friederich von*
Herden in der Grund-F. des H. R. part. 1. cap. 5. § ult.
& latè *Dr. Arum. de Comit. cap. 4. n. 1.* Sola enim vo-
catio ad Comitia jus Statûs non tribuit (aliàs quamplu-
res civitates, quæ per errorem sæpius vocatæ, imò & ipse
B. Lutherus, qui *ann. 1521.* à Carolo V. ad sui defensio-
nem Wormatiam evocabatur, imperii Status per hoc effe-
ctus fuisset. *Strauch. dissert. Exoter. 6. n. 19.*) sed ipsum
votum ac certa sessio, vid. *Schwed, in introd. in J. P. part.*

B 3

Hea

spec. sect. 2. cap. 1. §. 2. pag. 721. quam quidem sententiam expugnare conatur *Limn. tom. 1. addit. ad l. 1. cap. 7. n. 96. circ. fin.* dum existimat, votum & sessionem in comitiis habere, esse tantum accidentalibus Statibus, salvâque ejus essentiâ abesse posse; verum fundamentum carere assertum hoc, tam patet ex dictis, quam & ex *Rec. Imp. de ann. 1548. §. und soll unsere. & §. wann auch ein außgezogener. & passim.* Quamvis non vereat dubitare, an solum votum & sessio, reiectis aliis requisitis, Statum Imperii efficere possit, quod existimat *Titel Fried. von Herden in der Grundr. §. dict. loc.* cum hoc modo & Rex Sveciæ hâc potestate superbire posset, quippè qui jus suffragii cum Episcopatu Bremensi & Verdensi in Comitibus consecutus, quod Gallus (ratione scilicet Alsatia) ambivit. vid. *Cæsar. Fürstener. de Supremat. cap. 19. pag. 58. circ. med. & cap. 77. pag. 242.*

§. V.

Tertium requisitum esse contendunt Contributionem ad ærarium Imperii, ut quis secundum indictionem Romanam, nach dem gemeinen Anschlage des Römischen Zugs/ zu Erhaltung des Cammergerichts und anderer Nothwendigkeiten/ certum aliquod pensitet. vid. *Herm. Herm. in fasc. Jur. Publ. cap. 5. n. 6. Gail. 1. obs. 21. n. 9. it: Dn. de Rhetz in 7. P. lib. 1. tit. 15. §. 3.* Verum, cum per *R. 7. de ann. 1548. §. 56.* indubium sit posse quendam imperii Statum per privilegium speciale à collectis eximi & liberari, prout quoque hâc immunitate, salvò eorum jure Statibus, gaudent Domus Austriaca, Sabaudus, Princeps Arnburgicus, Cameracensis, Curienfis, Sedunensis Episcopi, Abbatisa Andlaviensis, &c. quos re-

fert

fert Limn. de *f. P. lib. 1. cap. 7. n. 97.* E contrario Nobiles imperii immediati, qui tamèn Status non sunt, imperio contribuant, certum in hoc fundamentum haud erit struendum. Myl. ab Ehrenbach de *Stat. Imp. part. 1. c. 11. §. 4. & seqq.*

§. V I.

Majoris momenti est illud, quod quartò locò ponunt, possessionem bonorum immediatorum, per *Rec. Imp. de ann. 1654. §. 197.* Promittit nempe Imperator, se jus Statùs nemini amplius concessurum, nisi bona possideat, imperio immediatè subjecta; *Cap. Ferd. IV. art. 45. & Imper. Leop. art. 44.* ibi: *Sie haben sich dann dazu mit Fürstnässigen und Gräfflichen Reichs-Gütern vorher so gnugsahm qualificiret.* Quamvis ex speciali indultu imperii & hoc remitti possit, prout factum in præsentibus Comitibus *ann. 1664.* Iohanni Ferdinando de Porcia, Magistro Officiorum in Aula Imperiali; quod & idem, cum protestatione tamèn, quibusdam aliis concessum. vid. *dict. Rec. Imp. de ann. 1654. §. 197.* Ex quibus patet decisio controversiæ inter DD. agitari solitæ, an Statum Imperii esse patrimonii sit qualitas, an personæ dignitas? quam quoad posterius affirmativè rectè decidunt Sprenger de *f. P. lib. 2. cap. 1.* Knichen in *Velit. apolog. n. 14. 15. 110. 131.* Gilman. *Symphor. tom. 3. pag. 325.*

§. V I I.

Priusquàm autèm in Statum Imperii adscribi quis possit, præter Imperatoris voluntatem requiritur quoque consensus & approbatio cæterorum Statuum, vid. Limn. in *f. P. lib. 1. cap. 7. n. 29.* Gail. *1. Obs. 21. n. 2.* Author *Decis. Cam. verb. Status Imper.* præprimis eorum, in quorum

col.

collegium Neo-Status assumi debet, *art. 44. Capit. Leop. & S. 197. R. 7. noviss.* ne ratione voti præjudicium iis accrescat; quò factò ultimus ipsi à Mareschallo Imperii hæreditario, Comite de Pappenheim / assignatur locus. *Iac. Andr. Crus. de Precedent. lib. 4. cap. 15. num. 5* *Naturalis enim ordo, inquit Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 5. §. 21. inter Socios hic est, prout quisque in societatem venit.* Quod si verò præcedentiæ quæstiones inter Status Imperii suboriantur, eas ad omnium decisionem, & ita ad Comitiam pertinere, ex plurimis Recess. Imper. rectè tradit *Crusius d. l. lib. 1. cap. 8. num. 22.* quamvis fortitèr in contrarium nitatur *Myl. ab Ehrenbach de Stat. Imp. p. 1. c. 13. §. 14. cum ibid. alleg.* nec non *Ioh. Christoph. ab Uffenbach de Excell. Consil. Cæsar. Imp. Aul. cap. 10 pag. 86. col. 2. vers. controversia de præcedentia.* vid. tamèn *Limn. in J. P. l. 2. c. 9. n. 92. & Gabr. Schwed. in J. P. part. spec. sect. 1. cap. 10. §. 15. pag. 399. & 400.*

§. I I X.

Quæ dicta sunt, intelligi volumus de Statibus strictè sic dictis, non, ut comprehendantur Electores, qui quoque sub voce *Statuum* passim in Legibus imperii veniunt. vid. *art. 3. Capit. Leop.* ibi: *Darzu den Ständen / samt erstgedachter Reichs-Ritterschafft &c.* De iis enim nulla nobis hic quæstio est, sed thema nostrum tantùm de Statibus, quæ Electoribus opponuntur, formatum est. Variæ autèm eorum classes sunt, in quarum originem ordine inquirere, easque enumerare, hic cogimur supersedere, ne *παρρηγοῦν* ipsò *ἔργω* fiat majus; videri in eum finem possunt *Cæsar. Fürstener. de Suprem. cap. 14. 15. 16. & seqq. idem cap. 18. pag. 56. in f. Reinkingk. de R. S.*

& E.

& E. lib. 1. cl. 4. c. 21. Besold. disc. de Comit. n. 12. in oper. polit. Dn. de Rhetz in inst. Jur. Publ. l. 1. t. 2. §. 144. & tit. 17. §. 15. nec non Dan. Otto in 7. P. cap. 13. à pag. 603 usque ad 630.

Caput Tertium.

De

Concursu Statuum ad electionem Imperatoris, & Regis Romanorum, nec non ad præscribendam ei Capitulationem, ac demùm ad ejusdem depositionem.

§. I.

Concurrunt Status ad administrationem Imperii vel quibusdam juribus, vel etiam oneribus; Inter jura præcipuum hoc est, & primò sibi de Capite quodam idoneo sollicitè prospiciant, hocque à priscis temporibus proprium iis fuisse, testatur Restaur. Castald. de Rom. Imp. qu. 8. num. 5. exempla quoque refert Serenissima & per Orbem Illustris Saxonum Principissa Erdmuht Sophia tr: eleg: Von der Weld: Alter pag. 231. & 232. quod post fata Friderici II, cumque per 23. annos subsequuti interregni, Imperatores varii, non ab Electoribus, sed aliis Imperii Statibus, quamvis prosperò minùs successu, electi fuerint. Concrediderunt tamèn lapsu temporis hoc jus & facultatem soli Electorum Collegio, Dominic. Arum. de 7. P. tom. 1. disc. 18. §. 15. & 16. pag. 176. Conring. de Rep. Imp. Germ. exerc. 10. §. 25. pag. 561. it: Citel Fried. von Herden in der Grund: F. des
C H. R. R.

H. R. R. p. 3. c. 3. p. 203. ità quidem, ut cogerentur eligere eum, quem Principes & Status Imperii communibus suffragiis prætaxassent, prout refert *Belold. de Reg. Success. dissert. 3. concl. 5.* adeòque non tam jus eligendi, quàm nominandi seu declarandi Imperatorem Electores habuerint; Undè & hodie dùm adhuc hanc facultatem ex totius Imperii commissione eos exercere, innuit *Epistel Fried. von Herden dict. loc. & Fürstener. de Suprem. cap. 1. pag. 2. circ. med.* quod quidem placere non potest, cum, postquam hoc jus per leges Imperii publicas publicè iis est confirmatum, vid. *A. B. Carol. IV. tit. 1. 2. & 7. it: Rec. Imp. de ann. 1566. in pr. Capis. Venerabil. X. de Electione.* non ampliùs ex commissione, sed jure propriò illud exerceant; quemadmodum rectè censet *Author anonymus in animadvers. contra Fürstener. pag. 19. arg. l. 6. D. de Jurisdict. ibique Gloss. & DD.*

§. I I.

Alia verò prorsùs est ratio, si vivò Imperatore Rex Romanorum legendus; provisum quippe ac constitutum est per publicam Pacis Monasteriensis pactionem *art. 8. §. habeantur 3.* quod hoc negotium non solò Electorum, sed ceterorum quoque consensu Statuum tractari debeat: Quemadmodum etiàm *annò 1652. Circuli inferioris Saxoniz Ordines* hac de re *Lüneburgi in wpo-Belia:* *Diemeil an Erwehlung eines Röm. Königs den sämtlichen Ständen hoch angelegen / damit das R. R. in seiner Form und Legibus Fundamentalibus unverrückt bleibe / so ist nicht unbillig / wann bey Lebzeiten eines Röm. Kayfers ein Röm. König zu erwählen / daß dessen Ursach sämtlichen Ständen eröffnet / und mit ihnen zu Raher gestellet*

stellet werde; referentibus hæc Dn. Schweder, in *Intr.* in 7. P. p. spec. sect. 1. c. 3. §. 6. pag. 272. & Burgoldens. in *Notit. Rer. Imp. p. 3. disc. 4. in f.* vid. quoque *Limn. ad Dan. Otton. 7. P. pag. 498. circ. med.* Ex quo patet, non quidem ad certæ cujusdam ac determinatæ personæ electionem concurrere status Imperii, sed eosdem in præconsultationem tantummodò vocari, an Imperii necessitas ità exigat, vivente Imperatore Regem eligi.

§. I I I.

De constringendo Imperatore legibus, ut vocant, Capitulationum, ardua magis inter Electores, cæterosque Imperii Principes ac Status controversia est; Equidem non sequitur: *Electores per Am: Bm: confirmatum est jus electionis Imperatoris, Ergò & præscribenda Capitulationis;* prout infert Illustr. Dn. de Rhetz in 7. P. lib. 1. tit. 4. §. 9. Nam quæ odiosa, & reliquorum Statuum jura infringunt, eorum interpretatio extendenda certè haud est. Imò cum omnia hæc, prout suprà notavimus, non nisi ex prisca totius Imperii comissione initiò egerint, ultrà limites hujus concessionis ac subsequutæ confirmationis vagari meritò nequeunt, adeòque potiùs hæc facultas omnibus Imperii Ordinibus est communis. *art. 8. Instr. Pac. §. habeantur. 3. vid. Joh. Wolfgang. Textor de Rat. Stat. c. 8. pag. 165. vers. his igitur.* (diss. Herm. Herm. in *Fascicul. Jur. Publ. cap. 9. qu. 8.*) Quemadmodum quoque jam tum post obitum Rudolphi II. Status de hoc conquesti sunt, donec tandè per *dict. art. Instr. Pac.* obtinuerint, de perpetua quadam omnium Ordinum consensu facienda Capitulatione, cujus projectum *ann. 1664. mens. April.* in præsentibus Comitiiis oblatum videri potest apud Fritsch. in *addit. ad*

Limn. lib. 1. cap. 12. impedivit tamen hætenus ejusdem observantiam, Electorum, Principumque grandis æmulationis. *Textor dict. tr. cap. 18. Burgoldens. p. 3. disc. 5. n. 1.* ibique *Francisc. Iren. in not.* Quapropter refert *Fürsten. de Supr. cap. 38. p. 123.* cum vidissent Status, monita quoque sua ad *Capitul. Leopold.* (quæ vid. ap. *Auth. der Grund-Feste p. 3. c. 3. à pag. 208. usque ad 255.*) ab Electoribus parùm attendi, negasse eos, in controversis capitibus eandem à se pro lege Imperii habitum iri; Quamvis hinc indè appareat, Statuum quoque nomine eam conceptam, vid. *prefat. ad Cap. Leop.* ibi: *Vor sich und sämtliche Fürsten und Stände des H. R. X Beding- und Pacts-Weise vergliechen.* quod etiã advertit *Gulich. in not. ad Theod. Reinfings Verjungten Röm. Reichs-Adler. tit. 3. §. 2. pag. 34. & 35.* idem & à *Rachelio* controversi vide *in dissert. ejus de Capit. Regn. Germ. cap. 3. §. 5 §. I V.*

Imperator dictò modò per 7 Principes lectus, non fit Imperii Dominus, sed Administrator tantùm, sicuti Tutor & Curator. *Molinæ. in Consuet. Paris. §. 2. gl. 4. n. 17.* *Hippol. Riminald. ad §. 1. Inst. de his quib. alien. lic. vel non lic.* (quidquid etiã ex intolerabili errore dicat *Bartholus ad L. deprecatio. 9. D. ad L. Rhod. de fact.* Imperatorem adhuc hodiè mundi Dominum esse, eumque, qui hoc neget, propter dictum *Luc. 2. v. 1.* pronunciat hæreticum: quem tamen solidè redarguit *Dn. Conring. lib. 1. de Finib. Imp. cap. 1.*) Quapropter si in Imperium nimium grassetur, ac jura Statuum, ab antiquis temporibus observata, eversum eat, munere suo exui, ac diademate Imperiali privari poterit, vid. *Dn. Dieteric. in Not. ad Am:*

Bm:

Bm: pag: 44. Cui verò hoc in casu facultas ferendæ sententiæ, ipsaque competat executio, controversiâ certè non caret; Sunt, qui eam Pontifici Romano, tanquàm Vice-DEO, adscribere non erubescunt, quos inter Lancellott. *in templ. omn. judic. lib. 1. cap. 1. §. 2. qu. 6.* vid. Quir. Cubach. *in Epit. jurisprud. Rom. Germ. cap. 28. num. 4.* qui certè risu magis, quàm refutatione digni, Limn. *lib. 2. §. P. c. 11. n. 18. & seqq.* Somniant hi fortè, se sub Turcarum Imperio vivere, ubi Sacerdotum Princeps sive *MOVFTI* hanc sibi vendicat potestatem, prout testatur exemplum haud ita inveteratum de *SULTAN IBRAIM*, cui decretò missò *MOVFTI* mandabat, ut coràm *CHAR-ALLA*, sive justitia DEI, compareret, eique hoc neganti denunciabat: Subditos juramento fidelitatis solutos esse debere. Quamvis non ignoremus, Pontifices Rom. alas procùl extrà nidum quandoquidè extendisse, ab iisque octo Imperatores, levi sæpè de causa, excommunicationis fulmine tactos; hæc tamèn omnia de facto, de jure nihil, tum temporis obtinuerunt. Arnisæus *lib. 1. de Jur. Majest. cap. 4.* Elegans est hac in parte responsio Friderici I Imp. data Rulando, Hadriani Papæ Legato ad se misso: *Faceffant, inquit, Legati à conspectu nostro, & viâ, quâ venerant, ad Pontificem suum redeant, Eumque cogitare de portanda Cruce Domini potiùs, quàm de regnis tradendis, adimendis, transferendis, jubeant: Prasulem se, & sacerorum Antistitem, non AVGVSTVM esse, sciat.* videantur hæc ap. Rittershus. *in Oration. Frideric. 1.*

§. V.

Quidam Comiti Palatino Rheni, tanquàm ordinario aliàs Imperatoris judici, *tit. 5. Ae. Ba. in f.* hoc jus

attribuunt, uti Herman. Hermes in Fascic. jur. Publ. cap. 19. n. 7. pag. 360. Verùm, cùm hæc res totum tangat imperium, non est, cur iis consentiamus. vid. Carpzov. ad L. R. G. cap. 14. sect. 6. n. 23 & 25. it: Just. Sinolt. Schulte Vol. 1. D. 7. th. 21. lit. D. Etenim innuit ipse textus Aæ. Bæ. hoc iudicium haud extendi ultrà causas civiles, & de quibus aliàs Princeps vel ex contractu, vel aliò modo conveniri solet vid: Dn. Gabriel. Schweder. in introd. in jus publ. part. spec. sect. 2. cap. 5. §. 21.

§. VI.

Alii deindè soli Electorum Collegio, exclusis cæteris Statibus, hanc facultatem assignant, quia, ajunt, ejus est deponere, cujus eligere. arg. l. 3. de Refud. & l. 35. de R. 7. & qui jus conferendi, habet etiàm jus destituendi. Panorm. de Clericis cap. 4. Attamèn argumentum à rei Constitutione ad ejus destructionem non perpetuò procedit, præsertim, ubi adest diversitatis ratio; Cur enim paucis, læpè in præjudicium reliquorum, liceat, cuncta convertere, & in Cæsarem ipsum imperium exercere? Rectè dixit Jætus: *judicem sententiam revocare non posse, nam, cùm pronuncia- vit, functus est officio suo*; ità Elector nominatò Cæsare, muneris sui partes explevit; Nec video, quid illis tantam tribuere debeat potestatem, non ratio, non imperii leges, non mos patrius, neque ulla exempla: nam, quæ in Ludovic. Pium, Carolum Crassum, Henric. IV, Otton. IV, Friederic. II, à Proceribus per tumultum, ac plerùmque per injuriam acta sunt, ad Electores non magis, quàm alios pertinent; Wenceslaus, monstrum hominis, ab omnibus spreus, ac desertus erat, ut Electores sententiam omnium Ordinum secuti, non deposuissent Cæsarem, sed
vacan-

vacante Imperiô novum elegisse videantur, ipsô Wenceslaô res Germaniæ parùm curante. Processum cum eo gestum pluribus describit Goldast. *tom. I. Const. Imp. pag. 379.*

§. VII.

Quarè saniùs existimare nos duco, si universis Imperii Statibus, simul sumtis, hoc jus adstruamus, cujus opinionis fautores habemus Magn. Dn. Conring. *ad Lampad. part. 3. cap. 2. n. 11.* Rachel. *dissert. de Capitulat. cap. 7. ab. 10.* Goldast. *dict. loc. Dan. Otton. in 7. P. cap. 10. pag. 302.* ibique Limn. *in not.* nec non Dieteric. *in not. ad A. B. d. pag. 44.* Quod si verò, inquit ille, casus adeò funestus & insperatus eveniret, ut Imperator nullâ admonitione corrigi, aut à contraveniendi scopo averti queat, sed injustis bellis ac persecutionibus Imperii ordines gravare pergat, causaque sit desperata, nec salutî reipubl. aliud, nisi mutatâ Imperatoris personâ, remedium applicare utile ac necessarium sit, hoc extremò demùm casu Electoribus imperii, adhibendò proptèr gravitatem negotii, Statuum Imperii consiliò, jus disturbandi à Solio Regem competere, nullus dubitarem.

vid, quoque Burgoldens. *in Notit. Rer. Imp.*

part. 3. Disc. I. §. 3, in fin.

Caput

Caput Quartum.

De

Conkursu Statuum ad Leges Imperii ferendas, easque interpretandas & abrogandas.

§. I.

Quæ ad omnium conjunctim Statuum cognitionem pertinent, ea, ut in publicis Comitibus proponantur, ibique singulorum judicio ac deliberationi subjiciantur, necesse est. Sunt autem Comitibus *Principum & Optimatum Imperii conventus, reipublicæ causâ indicti*, describente ita Otton. in *J.P. cap. 13. pag. 466. in f.* vel, prout vult egregius quidam Politicus, *Conventus Gentium liberarum, in ipsa summa potestate inter se concurrentium.* vid. Fridberg. ad *Burgoldens. 3. disc. 3. n. 2.*

§. II.

Præcipuum verò jus Statuum, quod possident, est, ut ad Comitibus vocentur, Myler. ab Ehrenbach *de Statib. Imper. part. 1. cap. 15. §. 1.* Reipublicæ enim vis in ipsis consistit Comitibus, Cæsar. Fürstenet. *de Supremat. cap. 39. pag. 125.* quare præprimis de hoc sibi caveant Status, ut frequentiora habeantur Comitibus. vid. Textor *de Rat. Stat. cap. 13. per tot.* nam, quò pauciora hæc sunt, eò magis periclitatur eorum libertas, imperiumque degenerat in Monarchicum, quod latè ostendit Conring. ad *Lampad.*

pad. part. 3. cap. 8. §. 2. quapropter & ea vocat Myler. ab Ehrenbach ad Rümelin. P. 2. diff. 3. th. I. fol. 437. repagulum contra Magnatum potentiam.

§. III.

Equidem extitère Imperatores, qui neglectis Ordinibus, locò Comitiorum generalium, semper tantum instituerunt Conventus Electorales, prout de Ferdinando II. testatur Fürstener. *d. l. cap. 38. pag. 122.* quòd hic summam rerum Imperii ad solos Electores trahere voluerit, adeoque conventus tantum Electorales, Ordinum verò Comitia nulla habuerit; Attamen Electores ipsi præcludere noluerunt Status ab iis, ad quæ illorum deliberatio requiritur, hocque in publico conventu Ratisbonensi *annò 1630.* ad Cæsarem eos dixisse, tradit Fürstener. *cap. 39. pag. 125. in f.*

§. IV.

Quæ autem ad ipsa spectent Comitia, quæque ibidem tractari debeant, ordine enumerat *Cit. Fried. von Herden in der Grundr. des N. R. R. part. 3. cap. 1. pag. 192. & 193. it: Bertram. de Comit. th. 78. & 3. seqq.* Inter quæ primum sibi occupat locum ipsa LEGUM IMPERII LATIO; Quam quidem aliqui, tanquam Cæsareæ Majestatis nimii adultores, soli attribuunt Imperatoris arbitrio, quemadmodum facit *Wesembec. ad tit. ff. de LL. num. 3. it: Reink. de R. S. & E. l. 1. cl. 5. c. 6. n. 122.* Verùm vix constat ex historiis, Imperatores unquam ferè hoc prætendisse, cum & jam Carolus M. ejusque Filii Ludovici, cæterique descendentes, plures leges in Concilio populi, & regni Comitibus condiderint, testante *Conringiò de Orig. Jur. Germ. cap. 13 & seqq.* multò minùs ipsæ

D

Im;

Imperatrices hanc facultatem habent, quamvis hac de re patrocinium earum suscipiat Goldast. *in Praefat. part. 2. Der Reichs-Satzungen.* multas ibidem allegans constitutiones ab Imperatricibus profectas. vid. *Disput. nostr. Inaug. de Jur. Faeminar. Illustr. cap. 2. num 4.* Nec fundamentum habet sententia quorundam, existimantium, hoc unà cum Electoribus, exclusis tamèn cæteris Imperii Ordinibus, Cæsari competere, uti quoque sentit Sleidan. *l. 1. Comment. p 28.* quod tamen absurdum iudicat Cæsarin. Fürstener. *de Suprem. cap. 39. pag. 126. circ. med.* Legibus itaque Imperii fundamentalibus convenientius est, hanc circâ Leges facultatem, quæ Aristoteli *6. Ethic. 8. ἀρχιτεκτονική* vocatur, omnibus Statibus conjunctim concedere. *art. 8. Instrum. Pac. 5. gaudeant. 2. it: art. 38. Capitul. Leopold. vid. Dan. Ott. in 7. P. cap. 10. pag. 330. ibique Joh. Limn. in not. pag. 331.*

§. V.

Duplici autem ratione objectum consultationum Leges constituere possunt; Vel enim deliberatur de Legibus ferendis, Vel de Legibus jam latis: hoc casu, vel de earum interpretatione, vel renovatione, vel confirmatione, vel demùm abrogatione; Ad omnem casum requiritur consensus Statuum; paritèr enim, uti Statu cum Imperatore leges ferunt, ità quoque easdem interpretantur. Magnif. Dn. Stryk. *in notat. ad Illustr. Dn. de Rhetz. Instit. 7. P. lib. 1. tit. 1. §. 3, 6. it: Texror de Rat. Stat. cap. 12. pag. 241. in pr.* quod ad oculum nobis ostendit *Ordinatio Judic. Aulis Ferdin. III. tit. 5. art. Da über den Verstand des Reichs-Constitutionen und Abschied Zweifel vorfallen. 21.* ubi ipse Imperator
inge-

ingenuè fatetur, hoc ad Comitia, adeoque ad omnium Statuum deliberationem pertinere. Quod quidem negat Bocer. *de Regalib. cap. 2. n. 66.* existimans, hanc soli Imperatori competere facultatem; verùm dubiò fermè hæc res caret, cùm in omnibus Imperii Recessibus usitata hæc inveniantur formulæ: *Mit der Stände Ermessen und Bewilligung / mit Rath und Zuthuung der Gemein en des H. R. R. Stände. vid. Rec. Imp. de anno 1559. §. damit dann hinführo. it: de anno 1570. §. weiters nachdem auch.* Adeoque hæc etiã inserta voluerunt Status Capitulationi Imperatoriæ; quod probant *eorum monita ad art. 2.* Daß der zukünfftige Röm. Käyser sich verbinde / der Interpretation der Reichs-Satzungen / und insonderheit des *Instrumenti Pacis*, allein nicht anzumassen / sondern dafern sich ein *dubias intellectus* ereignen solte / mit gesamter Stände des Reichs vorwissen / Rath / und Vergleichung / auff öffentlichen Reichs-Tagen damit zu verfahren / zuvor aber darin nichts zu verfügen / noch ergehen zu lassen / auch des Reichs Ordnungen und Gesetze ohne der gesamten Churfl. Fürsten / und Stände auff öffentlichen Reichs-Tagen vorgehenden Einraht und Bewilligung nichts zu ändern. vid: *Eitel Friederich von Herden in der Grund. §. des H. R. R. part. 3. cap. 3. pag. 210. in f. it: Limn. ad Capit. Carol. V. art. 2. p. 138. ejus enim est abrogatio legis, cujus est ejus latio seu constitutio. vid. Dn. Arum. vol. 4. de §. P. disc. 16. th. 5. lit. B. pag. 53. Quæcunque autem jam circa expressas leges obtinere diximus, eadem quoque tenent in consuetudinibus Imperii universalibus. vid. Illustr. Dn. de Rhetz in Inst. §. P. lib. 1. tit. 1. §. 14. ibique Magn. Dn. Stryck.*

§. V I.

Quodsi verò Status de subiecto negotio convenire inter se nequeant, an hoc casu cum Carpzov, *de L. R. G. sect. 10. cap. 8. n. 15. & seqq.* Imperatori prægrande hoc Reservatum competere statuamus, invitis etiàm Ordinibus ex plenitudine potestatis & muneris Imperatorii decidendi & statuendi, meritò dubitamus, cum ne ipsa pluralitas quidè rem semper expediat, præsertim, si hæc singulorum Statuum salutem contingat. Cæsar. Fürstener, *de Supremat. cap. 41. pag. 133.* imò, nec hisce casibus Collegio Electorali dimidietatem suffragiorum concedere possumus cum Dn. Gabriel. Schweder *in Introd. in J. P. part. spec. sect. 2. c. 1. §. 8. n. 7.* persæpè enim Principis cujusdam potentioris suffragium ex. gr. Brunswic. Hassiac. vel Würtemb. tantum ponderis habet, quantum unius Electoris. vid. Fürsten. *d. l. cap. 20. pag. 64. in f.*

Caput Quintum.

DE

Concursu Statuum circa ordinationem monetarum, ponderum, mensurarum: tollenda monopolia, confirmanda pacta Confraternitatum, introducendam Primogenituram, Visitationem Camerae Imperialis, ac Ordinationem Judicii Aulici.

§. I.

Sunt autè leges & placita Imperii vel de negotiis Belli, vel Pacis. Ad pacis negotia præprimis spectant.

stant ea, sine quibus commercia subsistere, ac exerceri nequeunt; Commercium enim & Mercatura sunt nervus reip. & vinculum societatis civilis, uti ex Loysau *au traite des Seigneuries, chap. 9. nombr. 69.* tradit Limn. *ad Capit. Ferdin. 111. art. 20. pag. 705.* adeoque eam omnibus modis mediisque fovere & promovere moderatores reipublicæ debent. vid. Johan. Marquard. *de Jur. Mercat. lib. 1. c. 1. 2. 3.* non tamen subsistere possunt, si eorum instrumenta, id est nummus, pondera, ac mensuræ, cum fide publica corrupta sunt, inquit Myler. ab Ehrenbach. *de Statib. Imp. part. 2. cap. 46. §. 2:* quapropter in Legibus Imperii salutariter provisum, ut omnes simul Status unà cum Imperatore rei monetariæ curam gerant. vid. *art. 33. Capitul. Leopold.*

§. II.

Duplici autem respectu hoc jus monetæ considerari potest; Vel enim quæ concedendum de novo cuidam est: & hoc solus Imperator cum Electorum prævio consensu facit. *art. 34. Cap. Leop.* Vel verò, quæ cura ejus & cognitio secundum communes leges nummarias ad Comitatus spectat, & ita demum ad illud concurrunt Status. Jacob. Lampad. *de Rep. Rom. Germ. part. 3. cap. 14. num. 18.* Varii autem ut plurimum circa monetam occurrunt defectus. vid. Joh. Limn. *ad art. 27. Cap. Car. V. pag. 287. & seqq.* Schweder. *part. spec. sect. 1. cap. 25. §. 7.* quos emendare summâ certè operâ allaborare debent, cum totius intersit Imperii, infucatam habere monetam; Est enim nummus instrumentum commerciorum, sine quo respublica diu durare non potest, describente ita Conringio *de Republ. Imp. Germ. Exerc. 9. §. 27. pag. 490.* ac si-

ne nervo rerum gerendarum, id est pecunia, nihil geri potest, inquit Cæsar. Fürstener. *de Supremat. cap. 11. pag. 33, lin. antepen.* undè de præstantia ejus jocosè ludit Dn. Dominic. Arum. *de 7. P. vol. 4. disc. 39. plac. 5. fol. 201.*

Amor vincit omnia;

Das leugstu / spricht Pecunia;

Denn wo nicht ich Pecunia bin /

Da kömstu Amor selten hin.

Modum verò cudendæ monetæ, & quantum singulæ species ponderis continere debeant, tradit Myler. ab Ehrenbach. *de Stat. Imp. part. 2. cap. 71. §. 9.*

§. I I I.

Non minùs curæ gerere debent Status, ne pondera ac mensuræ in Imperio defraudentur, atque ita commercia inter Gentes sistantur. *art 8. Instrum. Pac. & Reform. Polit. de ann. 1530. Von Ellen / Maas / und Gewicht.* vid. quoque Dn. Schweder. *de 7. P. pag. 285. n. 2. it: Keckerm. System Polit. lib. 1. cap. 8.* Mira equidè per totum Imperium Romano-Germanicum eorum varietas est ac discrepantia, quam ad conformitatem & unitatem redigere jam tum voluisse Carolum M. tradit Joh. Aventin. *in Annal. Bojoaric. lib. 4.* quod & idem sibi proposuerat Carolus V. *in Reform. Polit. zu Augspurg. de anno 1520. Von Ellen.* verùm ad effectum hætenùs deduci non potuit.

§. I V.

Furti autèm & Falsi tenentur, qui stateris adulterinis, *l. annonam. 6. D. de Extraord. Crim. falsis ponderibus, l. arbitrio. 18. §. 3. D. de Dol. Mal. falsis modis, l. modios. 9. C. de Succesor. lib. 10.* corruptâ atque iniquâ mensurâ *l. hodie*

diè 32. D. de L. Corn. de Fals. in Republica utuntur, vid. L. ult. C. de Susceptor. lib. 10. L. 1. & 2. C. de Ponderator. lib. 10. huc confer Levit. 19. v. 35. & seqq. Deuteron. 25. v. 13. & seqq. item Proverb. 16. v. 11. Novell. 128. cap. 15. Pœnaque iis in Constit. Crimin. à Carolo V constituta, daß/welcher bößlicher und gefährlicher Weise Maas/Waage/Gewicht fälschet und die für Gerecht braucht/und außgiebt / der soll zu peinlicher Straffe genommen / ihme das Land verbotten/oder an seinem Leibe als mit Nuyten außgehauen/oder dergleichen nach Gelegenheit und Gestalt der Ueberfahung gestrafft werden. vid. dict. Constit. Criminal. art. 113.

§. V.

Præterea de Monopoliis quæ circumspicere debent Status, ne in republica exercentur; Est autem Monopolium commercium emendi, vendendi, permutandi, à paucis, vel etiã uno usurpatum, reliquis civibus præreptum; quo rerum pretia augentur, cum lucro negotiantis & damno reliquorum, Joh. Petr. Surd. Consil. 321. num. 24. vid. Godofred. ad L. un. C. de Monopol. lit. 2. Quâ definitione ea tantum comprehendo monopolia, quæ reipubl. damnofa sunt ac perniciofa; eaque Galli ita describunt: *Quand une certaine espece des marchandises est mise entre les mains d'un seul homme, & l'on n'en peut avoir, que par ses mains.* Guil. Bœkel. *disqu. Vision. Jur. Publ.* 15. col. I. de quibus in d. l. un. C. de Monopol. Imperator Zeno ita: *Subemus, inquit, ne quis cujuscunque vestis, vel piscis, vel petinum fortè & echini, vel cujuslibet alterius, ad victum vel ad quemcunque usum pertinentis speciei, vel cujuslibet materia, pro sua auctoritate, vel sacrò jam elicito, aut impostero*
elic

eliciendô reſcriptô, aut pragmaticâ ſanctiõne, vel ſacra noſtra pietatis annotatiõne, Monopolia audeat exercere, nè ve quis illicitis habitis conventionibus conjuret aut paciscatur, ut ſpecies diverſorum corporum negotiationis non minoris, quàm inter ſe ſtatuering, venundentur.

§. V I.

Quæ & eadem publicis Imperii legibus ſub graviffima pœnæ comminatione ſeriõ prohibita ſunt. vid. *Rec. Imp. Spirenf. de anno 1529. §. item nachdem die monopolia pag. 188. & Ordinat. Polit. de ann. 1577. tit. 17. 18. & 19. vid. Joh. Limn. ad Capit. Carol. V. art. 17. pag. 236. & 237. ibique complur. alleg. Recc. Imp. Pugnatur namque hujusmodi quæſtûs illiciti ſtudium & inhiatio rei alienæ cum dilectiõne proximi, Halicarn. Damhoud. *Prax. Rer. Crim. cap. 132. n. 15.* ac naturali æquitate, quæ non permittit, quemquam cum onere ac injuria alteriûs locupletem fieri. *Cap. Locupletari. de Reg. Jur. in 6to. L. Jure natura: 206. D. eõd. L. nam hæc natura. 14. D. de Condict. Indeb.**

§. V I I.

Quaproptèr etiã noviffimè in *Capitul. Imp. Leop. art. 20.* de iis itã conſtitutum legimus: Wir ſollen und wollen auch die groſſe Geſellſchafften/und Rauff, Gewerbs Leute/ und andere/ ſo biſhero mit ihrem Geld regieret/ihres Willens gehandelt/ und mit Bucherung und unzuläſſigen Vorkauff und Monopolien viel Ungelchicklichkeiten dem Reiche/ und deſſen Einwohnern und Unterthanen mercklichen Schaden/ Nachtheil/ und Beſchwehrung thun; mit der Chur, Fürſten/ Fürſten und anderer Stände Raht/ immaffen/wie deme zu begegnen/hiebevõr auch bedacht und vorgekommen/ aber nicht vollſtrecket worden/ gar abthun/ feines

Keines Weges jemanden einige Privilegia auff Monopolia ertheilen/dieselbe vielmehr / als denn Reichs. Satz. und Ordnungen zuwider/wiederum abthun und auffheben.

§. I I X.

Ab hisce tamèn monopoliiis illicitis meritò distinguimus ea, quæ publicam salutem curant ac promovent, de quibus vid. Hug. Grot. *de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 12. §. 16.* nec non Magnif. Dn. Stryk. *vol. 1. Diss. de Dardanis. cap. 4.* item Joh. Marquard. *de Jur. Mercat. & Commerc. sing. lib. 4. cap. 7. per tot.* eaque publicà concedenda sunt auctoritate, moderatò tamèn & taxatò pretiò, ac attentis omnibus circumstantiis concurrentibus, ne, qui hisce privilegiis usuri sunt, plus justò rempubl. gravent. vid. Dn. Simon. *in not. ad Hug. Grot. dict. §. 16.*

§. I X.

Ad negotia pacis spectant etiàm pacta duorum pluriumvè Statuum, de obtinenda mutua intèr eos successione, quæ *Confraternitatem* communiter appellant. Hanc Dn. Schweder. *in Introd. in J. P. part. spec. sect. 1. cap. 10. §. 10. pag. 879.* ità describit, quòd sit *Conventio duarum pluriumvè Illustrium familiarum, ad hoc, ut unà familià quoad heredes masculos extinctà, altera superstes in bona & Principatus defunctæ succedat, inita, Imperatoris ac Ordinum auctoritate roborata.* Ad quam introducendam haud sufficit sola auctoritas Imperatoris, quod perperàm contendunt Muscul. *de Success. Convent. & Anomal. class. 1. membr. 1. concl. 3. lit. G. Gail. lib. 2. Observ. Pract. 127. num. 5. & seqq.* Neque junctus ei solus Electorum consensus, prout volunt Joh. Casp. Güttich. *de Confraternit. th. 61.* Bened. Carpzov. *diss. de Pact. Confrat. Saxon. Hass.*

th. 47. Sed requiritur insuper suffragium cœterorum Imperii Statuum. vid. Dan. Otto *in f. P. cap. 11. pag. 369.* Petr. Heig. *part. 1. quæst. illustr. 2. num. 17.* Est enim hæc res magni præjudicii, adeòque meritò ad omnium Ordinum cognitionem pertinet, vigore *Capit. Leopold. art. 39.* ibi: Wir sollen und wollen auch in wichtigen Sachen/so das Reich betreffen/ und vom hohen Præjudiz und weitem Aufsehen seyn/ bald Anfangs der Chur-Fürsten/ und nach Gelegenheit der Sachen/ Fürsten und Ständen Raht- Besprechens uns gebrauchen / und ohne dieselbe hierin nichts vornehmen. vid. *art. 8. Instr. Pac. §. gaudeant. 2.* Imò, cum ejusmodi Confrater de feudo alterius simultaneè investiat, Knichen. *de invest. part. 1. cap. 3. in pr.* ac per hoc in eodem jus sibi quæsitum pariat, Myler. ab Ehrenbach *de Statib. Imp. part. 1. cap. 25. §. 19.* adeò, ut & homagium ab alterius subditis ei præstandum, Magnif. Dn. Stryk. *de Success. ab intestat. dissert. 8. th. 31. & 35.* ejusmodi autèm infeudatio sit conditionalis alienatio, quæ haud permissa, vid. elegantiss. Grot. *de f. B. & P. lib. 2. cap. 6. §. 9.* Imperator insuper ad transferenda feuda in Imperio majora Consilium Principum adhibere teneatur, Limn. *lib. 2. de f. P. cap. 9. num. 32. & mult. seqq.* Non poterit non esse, quin & hoc negotium ad cognitionem Statuum pertineat. Ac esto, hisce minùs attentis; in omni Imperio generalis hæc tenenda est regula, quam tradit Georg. Theod. Dieterichs *ad Am: Bm: tit. 1. §. debet autèm. pag. 24. in pr.* In negotiis publicis magis respiciendum ad id, quod expedit Reipublicæ, quàm quod jure strictò fortè liceret. An autèm & subditorum consensus hic requiratur, affirmat Myl. ab Ehrenbach *d. c. 25. §. 16. ibique alleg. negat id.*

id Dn. Stryk. *in Exam. Jur. Feud. cap. 16. quest. ult.*
§. X.

Obiter quoque hic quaeritur: An hujusmodi pacta à privatis etiã iniri possint? quod cum Magn. Dn. Stryk. *rr. de Caut. Contr. sect. 3. cap. 6. §. 5. & seqq.* affirmamus; interim non negantes, talia pacta in omnibus non convenire iis, de quibus in præcedentibus dictum; illa enim efficiant, ut hostis uniũs, sit etiã hostis alterius, adeòq; Confratres confœderationis lege ad mutua invicem auxilia & copias militares teneantur. vid. elegantè Mager, *de Advoc. Armæ. cap. 15. num. 129. pag. 655.* quod cessat in pactis privatorum. Neque etiã sub voce *Confraternitatum* strictè sic dicta veniunt, sed appellantur tantum nudæ conventiones, *Geschlechts-Vereinigungen* / quæ solum effectum mutua successionis habent. vid. Dom. Dominic. Arum, *de J. P. tom. 1. disc. 22. th. 10. pag. 210. lit. E.* Quæ de cœtero requirantur ad pacta hæc familiarum Illustrium, & qualis eorum effectus, pluribus tradit Myler, ab Ehrenbach dict. *cap. 25. §. 8. & seqq.* & Theod. Reinkingf. *de R. S. & E. lib. 1. cl. 4. cap. 18. passim.*

§. X I:

De jure Primogenituræ, in Domo quadam Illustri introducendo, obtinent eadem, quæ §. *preced.* diximus; requiritur namque ad id, ut Omnium Statuum, ac ita totius Imperii Authoritas & confirmatio accedat; quod clarè innuit *Rec. Imp. de anno 1654. §. Demnach auch in dem zu Schnabrück und Münster. 188. it: art. 15. §. ult. Instr. Pac.* vid. quoque Joh. Limn. *de J. P. lib. 4. cap. 8. §. 121. num. 8.* nec non Illustr. Dn. de Rhetz *in Instit. 1. P. lib. 2. tit. 37. §. 3. in f.* Verum tamèn, cum in plerisque

fermè Principum familiis illud jam in vigore sit, adeò, ut paucæ admodum supersint, quæ eodem nondum fruuntur: nulli dubitamus, quin solus Imperator reliquis etiam hoc desiderantibus, concedere possit, prout ipse nuperrimè in Aula Imperatoria supplicationem vidi Dn. Dn. Ducum Saxoniae von Eisenach/ Johannis Georgii & Johann. Wilhelmi, Fratrum, sub dato 4ti Jan. elapsi 1688. anni, in qua petière à Majestate Cæsarea, ut jus primogenituræ, quod per dispositionem Paternam Johannis Georgii, defunctæ memoriæ, nec non per approbationem Statuum Provincialium in suo Ducatu introductum, Imperatoriâ suâ autoritate corroboraret. In hujusmodi autem pacti justitiam vel injustitiam latè inquirere, ejusque requisita enumerare, non fert hæc nostri instituti ratio; videri hæc possunt latè ap. Joh. Limn. d. 9. 121. & seqq. Dan. Otton. in 7. P. cap. 17. pag. 562. & seqq. Herm. Hermes in Fascicul. 7. P. cap. 14. num. 5. & seqq. &c. Ob-
tinet verò illud in variis Germaniæ Principum familiis, uti (præter omnes Electoratus, quibus vigore *Ac: Bæ: cap. 7. v. 2.* à Carol. IV. id juris concessum) in Archiducatu Austriæ, Ducatu Bavarix (antè devolutionem quoque ipsius Electoratus) Ducatu Brunsvicensi lineæ Guelpherbitanæ, Palatinatu diversatum linearum, Landgraviatu Hassiæ, tam lineæ Darmstadinæ, quàm Cassellanæ, Ducatu Württembergensi, Megapolitano &c. vid. Georg. Henr. Springinsfeldt de Apanagio. cap. 3. num. 43. & seqq. Myler. ab Ehrenbach. de Statib. Imp. part. 1. cap. 21. §. 3. Nicol. Bets. de Pact. Famil. Illustr. cap. 9. pag. 521.

§. X I I.

Pariter concurrunt Status, eorumque autoritas &

præ

praesentia requiritur ad instituendam Visitationem Cameræ Imperialis, ejusque defectus corrigendos, ac vitia tum personarum, tum ipsius Processus, emendanda. vid. Gabriel. Schweder. *introd. in 7. P. part. spec. sect. 1. cap. 31. §. 7. & seqq.* quod etiam novissime per *Rec. Imp. de anno 1654. §. 132.* hoc modo iis confirmatum: Nachdem nun die alte Revisions. Sachen expedirt/und auß dem Besorge seyn geräumet worden/sollen die Ordinari Visitationes, wieder eingeführt/ und alle Jahr/ Inhalts der Cammergerichts. Ordnung / fortgesetzt / auch weils von 1582, also in 70 Jahren/ keine Ordinari Visitationes oder Revisiones gehalten worden / bey vorstehender ersten extraordinari Visitation unsers Cammergerichts/von unsern Kayserlichen Commissariis, und deputirten Chur. Fürsten / Fürsten/und Ständen Abgesandten/ein gewisses Schema verglichen / und in unsers Neven / des Chur. Fürsten zu Wäyns Liebdt. Cankelen auffbehalten/auch derselben in Beschreibung zu solcher jährlichen ordinari Visitation beständig nachgegangen werden. vid. quoque Eitel Friederich von Herden in der Grund. F. des H. R. R. *part. 3. cap. 1. pag. 193. num. 14. & 15.* hujus visitationis formam vid. apud Ioh. Christoph. ab Uffenbach *17. de Consil. Cesar. Imp. Aul. cap. 8. pag. 61. sect. 1. col. 2.* nec non ap. Iacob. Blum. in *Process. Camer. tit. 24. §. 15. pag. 88. & seqq.*

§. X I I I.

Ad Ordinationem Iudicii Aulici idem desiderari, non sine ratione colligo ex *art. 41. Capitul. Imp. Leopold.* ubi *in pr. ita:* Wir wollen auch die Neu. auffgesetzte / und von unsern Vorfahren gloriwürdigsten Andenkens approbirte Reichs. Hoffrahts. Ordnung (NB. es sey dann/das bey fünffzigem Reichs. Tage ein Anders verordnet werde) Best halten lassen.

Haud enim obscure innuitur hîc, negotium illud Comitii subjacere, adeoque ad omnium Statuum deliberationem pertinere. Quapropter etiã ultima Iudicii Aulici Ordinatio (quæ ad mandatum Ferdinandi III. durantibus Comitii anno 1654 in lucem edita) à plejrisque Imperii Statibus ideò rejecta, quoniam eorum monita atque consilia ad eandem minùs adhibita. Dn. ab Uffenbach *d. tr. cap. 2. pag. 6. columnis. 2. art. ob nun woll alle Reichs=Stãnde.* vide tamèn dictæ Ordinationis clausulam finalem, *so viel aber die Vistation unsers Reichs=Hoffrahts betreffen thut &c.* Statibus Imperii omninò salutarem & acceptabilem.

Caput Sextum.

De

Conkursu Statuum ad revocandas alienationes Rerum Imperii, ab Imperatoribus olim factas.

§. I.

PRiusquàm concludamus de iis, quæ ad pacis negotia pertinent, monenda adhuc pauca erunt, de rebus Imperii Imperatorum injuriã alienatis, & quidnam juris possideant Status ac Ordines Imperii ad earum revocationem; Dolendum autèm est, nimis verum esse illud, quod ait Mylerus ab Ehrenbach *de Statib. Imp: part. 1. cap. 8. §. 1. Aquilam Imperii Rom. habitò respectu ad præterita secula, satis deplumatam apparere, ejusvè præcipuas plumas videri evulsas.* Ipse Imperator

rator Maxim. II. in *Rec. Imp. de ann. 1566. §. Demnach. 125.* conqueritur, daß so viel herrliche Königreiche/ Fürstenthümer/ Republiquen, und Städte/ hie mit Gewalt/ dort mit Practiquen, dem Röm. Reiche entzogen seyn; Cujus causa certè maxima ex parte Sedi Romanæ adscribenda, quippè à qua summis semper machinationibus persuasi sunt Impp. nostri, ut ipsi, velut devoti Filii, faciem gratitudinis ergà matrem Ecclesiam converterent, maximè, quod eadem Ecclesia ipsos in dulcedine benedictionis præveniret: sunt verba Conringii *de Finib. Imper. Germ. lib. 2. cap. 20. pag. 395. num. 5.* undè & Rudolphus Habsburgicus Cæsar omnium prædecessorum donationes solennissimè confirmavit Ecclesiæ Romanæ, Conring. *dict. cap. 20. pag. 393. & seqq.* ipseque Carol. IV. omnibus Impp. qui antecesserant, magis benignum se Papis (nempe Innocentio VI & Urbano VI) exhibuit, testante eodem Conring. *d. c. 20. pag. 425. & seqq.* hic namque ità grassatus in Imperio fuit, illudque corradere, & largitionibus, omnibus modis, labefactare quæsit, ut Maximilian. I. sapiùs dixerit, Carolum dissipatorem Imperii, alterum Crassum, Vitricum Imperii fuisse, & pestilentiozem pestem Germaniæ nunquam contigisse, referente id *Wahremund ab Ehrenberg de Regn. Subsid. cap. 5. num. 42.* Hunc secutus Carol. V. dum Parmam & Placentiam novò donò concessit Pontificibus, Conring. *d. c. 20. pag. 439. num. 10. & seqq.* alii que plures Imperatores, quos passim tradit Excellentiss. Dn. Conring. *dict. tract. Quæ tamèn vulgò ex Can. Constantinus. 13. distinct. 96.* fabulantur, de donatione à Constantino ratione Italiæ ergà Pontificem facta, non nisi com-

men-

menta figmenta que sunt, ac omni carent fide, cum ipse canon Palea sit.

§. I I.

Nec tantum erga Sedem solummodo Romanam liberalitatem suam nimium exereuere Imperatores, verum etiam alia regna de eadem sibi gaudere possunt, prout insignem catalogum provinciarum hoc modo ab Imperio avulsarum recenset Melch. Goldast. in *Epistol. Dedicator. der Reichs-Handlung*. Sic de dicto jam Carolo IV. refert Conring. *d. l. cap. 24. pag. 574.* eundem integrum Regnum Arclatense (quod septem continebat provincias: (1.) Delphinatum. (2.) Trajectum Sequanorum. (3.) Comitatum Burgundia. (4.) Ditiones aliquot Helvetia. (5.) Lotharingiam. (6.) Sabaudiam. (7.) Massiliae territorium) pro uno prandio solenni, sibi apud Villam novam propè Avignon preparato, Francorum Regi Carolo VI concessisse; quod, an jure factum, disquirat Herman Hermes in *Fascicul. Jur. Publ. cap. 17. num. 6.* Pariter quae ex largitionibus ac supina derelictione Hispani ab Imperio nostro consecuti sint, leg. ap. Hug. Grot. *lib. 2. de I. B. & P. cap. 22. §. 13. n. 2. in not. ibique alleg.*

§. I I I.

Hæc & alia, quæ brevitatis gratiâ silentiò hîc præterire cogor, summâ cum Statuum Ordinumque Imperii injuriâ peracta sunt; Nunquam enim ad alienationes hujusmodi in consilium vocati, sed iis insciis, imò sæpè contradicentibus, eadem factæ sunt, quamvis quandoque unus vel alter Statuum subscripserit, quod tamèn pro certo indicio voluntatis cæterorum capiendum. Conring.

ring. *dict.* cap. 20. pag. 402. num. 10. Quapropter, cum ipse Imperator non sit Imperii Dominus, sed administrator tantum, prout *suprà* cap. 3. § 4. in pr. dictum, de nullo autem Imperio vel Regno, sine consensu populi, alienare quicquam liceat, nisi plenissimo modo possideatur, & in patrimonio sit, Hug. Grot. *lib. 2. de Iur. Bell. ac Pac. cap. 6. §. 3.* adeò, ut ne ea quidem, quæ ad propriam Regi sustentationem concessa, in alium ab eo transferri possint, testante eòd. Grot. *d. cap. 6. §. 11. ibique not.* (quod tamen limita ex *§. subseq. 12.*) Salutariter in legibus Imperii provisum, sine consilio & permissione Ordinum imperii alienationes ejusmodi deinceps fieri non debere; quæ quidem permittendi facultas in Capitulationibus, uti videre est ex *Capitul. Leopold. art. 12. in pr.* solis Electoribus concedi ac confirmari videtur; Attamen, prout inquit Joh. Limn. *tom. 5. de 7. P. pag. m. 247.* hæc est genuina mens *dicti art.* quòd Electores primario conveniri debeant, ut facta ab his præconsultatione, ex omnium denique arbitrio quid constituatur. vid. Limn. *ad Am. Bm: cap. 5. §. 1. Obs. 28. idem ad Capit. Carol. V. art. 9. pag. 163. in f. & seqq.* Verum in re tam ardua consultius duco, judicium suspendere; quamvis plurimi statuunt, non posse sine consensu & approbatione omnium simul Statuum dictam alienationem vires obtinere. vid. Dn. ab Uffenbach *tr. sæpius cit. cap. 12. pag. 164. col. 1. n. 10. & 14.* illudque à priscis temporibus ita juris fuisse, ingenuè fateantur Herm. Conring. *de Finib. Imp. Germ. lib. 2. cap. 19. pag. 386. num. 15. & Kyriand. in Annalib. Trevirens. part. 15. pag. 145. & part. 17. pag. 191.*

§. I V.

Id tamèn controversiâ caret, ad revocandas alienationes, ritè minùs, ac sine solennitatibus ab Imperatoribus factas, (ob quas tanquàm dolosas potius, summò meritò restitui in integrum debere jura Imperii, ait *Couring. d. cap. 20. pag. 423. num. 10.*) haud sufficere solam Electoralis Collegii auctoritatem, sed insupèr omnium Statuum consilium, suffragium, deliberationem, ac opem efflagitari, quod apertè ostendit *dict. art. 12. Capit. Leopold.* ibi: Auch in diesem und obigen allen mit Raht/Hülffe und Beystand der 7 Chur-Fürsten allein/oder nach Gelegenheit der Sachen auch anderer Fürsten und Ständen/jederzeit an die Hand zu nehmen/was durch Uns und Sie vor Rahtsam/nützlich/und gut angesehen und verglichen werden wird. Illud autèm in quæstionem hic venit, cujusnam effectûs sit protestatio hæc, de revocandis alienationibus, omnibus Capitulationibus constantèr quidèm repetita, nunquàm tamèn ad actum deducta? anne possessoribus earum rerum præscribendi præripiat facultatem, adeoque hæc ratione, nulla contra Imperium currat præscriptio? Verùm cum *Magnif. Dn. Stryk: in notat. ad d. art. 12. Cap. Leop.* meritò de consequentia dubito; Protestati sunt Imperatores & Status intèr se contra dictas alienationes, tertio tamèn per tot annos, imò secula, in quietâ manente possessione: Ergò contra easdem non obtinet præscriptio? Subsisto.

§. V.

Quæ autèm dicta in antecedentibus sunt de alienationibus ipsis, eadem quoque & de oppignorationibus obtinent; prohibita enim alienatione, prohibita censentur.

LIII

tur omnia illa, per quæ ad alienationem pervenitur. *L. fin. C. de reb. alien. non alienand. Cap. Imperialem. 2. Feud. 55. Cap. 2. X. de reb. Eccl. non alienand.* scilicet, prout loquuntur Iſti ad *d. l. f. quicquid prohibitum est in termino, prohibitum etiã est in via.* conf. *Carpzov. de L.R.G. cap. 7. sect. 1. per tot.* quamvis Clariss. Dn. Strauch. *dissert. de Oppign. rer. imp. th. 25. & seqq.* exemplis nonnullis firmare conetur, antè ætatem Caroli V. jus oppignorandi res Imperii in solius fuisse Imperatoris arbitrio ac potestate; quod ab omni tamèn veritate alienissimum prorsus est: utut diffiteri non possimus, de facto sæpiùs hoc actum ità esse, prout, testante Gasteliô *de Stat. Publ. Europ. cap. 32. num. 111.* Windsheimium ab Imperatore Sigismundo, Burggravio Norimbergensi, Gelnhusium Comiti Schwartzburgico à Carolo IV. aliis alia loca cum singulari imminutione Imperii nostri oppignorata sunt. add. *Goldast. de Regn. Bohem. lib. 1. cap. 17. num. 6. Nicol. Cusan. de Concordat. Cathol. lib. 3. cap. 30.* In quibus tamen oppignoracionibus nullam unquàm objicere possunt præscriptionem possidentis, quippè, non valenti agere nulla currit præscriptio: antequàm autèm debitor offerat creditum, cum effectu agere nequit. vid. *Grot. de I. B. & P. lib. 3. cap. 20. §. 60.* Quod ità est, nisi & aliæ concurrant circumstantiæ, fortè, si oblatum debitum recusetur, ac ità per tempus lege definitum in quieta creditoris (qui jam ex alia causa possidere incipit) possessione res relinquatur.

PARS SECUNDA.

Caput Septimum.

De

Concursu Statuum ad decernendum ac gerendum nomine Imperii Bellum, & quæ huic connexa.

§. I.



DE PACIS NEGOTIIS, Comitiali Ordinum consilio ac consensu tractandis, dicta hucusque sufficient; ALTERAM nunc PARTEM aggredimur, & quid circa BELLA in Imperio nostro juris, dispiciemus. Bellum describit Grot. lib. 1. cap. 1. num. 2. quod sit *Status per vim certantium, qua talium*; latius Arumæus vol. 3. l. P. disc. 5. posit. 1. num. 6. dùm inquit: *Definimus bellum, quod sit actio hostilis ad injuriam depellendam, vel vindicandam, à Magistratu, vi armisque contra hostes, pacis retinenda vel consequenda gratiâ, legitimè suscepta & administrata.* Originem hujus vocis quidam BELO, primo gladii ferrei inventori tribuunt, Veget. de Bell. cap. 8. quem indigitare videtur Tibullus Eleg. 10. lib. 10.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?

Quam ferus, & ferè ferreus ille fuit!

Tunc cædes hominum generi, tum prælia nata,

Tunc brevior dira mortis aperta via est.

Verùm hæc conjecturæ sunt, & ad rem parùm attinent.

In

In pace autem de bello cogitandum, inquit Myler. ab Ehrenbach de Stat. Imp. part. 2, cap. 74. §. 1 pag. 664. tentō tamē gradu ac providō consiliō ad id properandum. vid. Bocet. de Bell. & Duell. lib. 1. cap. 6, num. 22. illudque non nisi pacis causā suscipiendum; Grot. d. l. §. 1. quod optimē exprimit SAVEDRA in Emblem. Polit. 74. Indem er ein Speer oder Spieß mahlet / welches die Oliven und Wein-Reben empor erhält; mit dieser Überschrift:

IN FULCRUM PACIS.

Requisita verò legitimi belli, & quomodò id justē geri debeat, vid. apud Gothofred. de Peschwitz tr: elegantiss. de Reppressal. cap. 1. num. 15. quæ tamē, præprimis quoad solennitates, ex: gr: denunciationem &c. cessant, si quod ad propullandam vim suscipiatur bellum. Grot. lib. 3. cap. 3. §. 6.

§. I I.

Refertur autem jus belli ad summa Majestatis Regalia, Bodin. de Republ. lib. 1. cap. 10. it: Anton. Coler. de Jur. Imp. Germ. sect. 28. Quapropter & in Imperio nostro à Cæsare unà cum Statibus, utpotè in quibus conjunctim majestas residet, exercetur, illudque ab antiquis temporibus obtinuisse, pluribus exemplis latissimè defendit Herman. Conting. de Republ. Imp. Germ. Exerc. 8. th. 83. it: Joh. Limn. ad C. Carol. V. art. 11. in verb. der Reichs-Stände. pag. 184. & seqq. ad quod subsequentes post Carol. V. Imperatores tenebantur vi juramenti præstiti. vid. Capit. Leopold. art. 13. Wir sollen und wollen auch uns in Zeit bemeldter unserer Regierung / gegen den Benachbarten und anstossenden Christlichen Gewalten friedlich halten / kein Gezänck / Behde / noch Krieg / inn- oder aussershalb des Reichs / von desselben wegen unter keinerley vorkwands / wie der auch

seyn/ohne der Chur-Fürsten/ Fürsten/ und Ständen &c. vid. Clariss. Dn, Arum. vol. 3. 7. P. disc. 15. th. 43. pag. 581. in pr. ibique alleg. Videre hoc namque est in aliis quoque Regnis, ubi non soli Reges, sed ex deliberatione & consensu Senatûs Reipubl. bellum suscipiunt, quod de Gallia & Polonia testatur Camer. lib. 2. Polon. nec non de Anglia Comin. lib. 5. Historiar: Relata tamèn ex Capitul. Leopold. ulterius Imperatorem non stringunt, quàm si universi imperii nomine generale quoddam bellum gerendum; Quod si ergò ratione Provinciarum hereditariarum, ad Imperium non pertinentium, id contendat, minùs exigitur præconsultatio ac consensus Statuum, cum hoc modò eorum minùs intersit, quippè ad hujusmodi bellum nullas pendunt collectas; quale fuit famosum illud intèr Carolum V & Francisc. I Galliarum Regem.

§. III.

Non modò Status Ordinesque Imperii cum Imperatore bellum decernunt, verùm ad administrationem ejus concurrunt quoque. militesque eorum etiàm nomine leguntur, Rec. Imp. Norimb. de anno 1532. §. und sollen solche Knechte. II. Rec. Imp. Ratisbon. de ann. 1598. §. und demnach. Suntque in servitio Imperatoris & Imperii, Fuß-Knechts Bestallung zu Speyer anno 1570 auffgericht; art 72. adeoque totum Corpus appellatur des Reichs-Boles. Ordnung des Regiments de anno 1500. tit. wo dem Reich &c. item die Reichs-Armee / der Röm. Käyserl. Mant. und des H. Röm. Reichs Kriegs-Heer. Prager-Friede de anno 1635. §. zu dessen allen wirklichent. &c. Undè directionem belli Imperator non nisi à Statibus sibi concessam gerit, eamque

que ultrà terminos concessionis extendere non valet. R. A. de ann. 1567. §. in gleicher Gestalt. item R. A. de ann. 1598. §. und demnach &c. & §. So haben sie. nec non R. A. de anno 1603. §. und demnach. Maturò autèm consiliò, ac non nisi summâ urgente necessitate, ad militum collectionem progrediendum, ad evitandas vicinorum suspiciones, & parcendum militum stipendiis. Myler. ab Ehrenbach. de Statib. Imp. part. 2. cap. 79. §. 5. magni enim sumtus ad bellum requiruntur, sine quibus arma sunt inutilia ac inefficacia; Bahremund ab Ehrenberg de Fæderib. lib. 1. cap. 2. num. 57. p. 169. quos ipse Imperator simul cum Statibus fundere debet, quamvis aliquandò à solis Ordinibus factum legatur in Rec. Imp. de ann. 1530. §. 109.

§. I V.

Occasione stipendiorum paucâ hîc loci de Tributis, velut summis belli subsidiis ac ornamentis pacis, uti inquit Myler ab Ehrenbach. d. l. p. 3. cap. 97. §. 1. erunt monenda; Cùm verò status Reip. German. eò calamitatis pervenerit, ut ex arario publico ne pacis quidem (ne dicam belli) necessaria imperio suppetant, massen es mit dem Röm. Reiche nunmehr gar auff die Neige kommen. R. A. zu Cöln. de anno 1512. in princ. dùm reditus ex Imperio omni anno redacti olim 6 tonnas auri exsuperarint, jesho aber sey es kaum so viel / daß man die Post-Botten davon zahlen könne / testante id Dno. ab Uffenbach de Consil. Cæs. Imp. Aul. cap. 4. pag. 27. col. 2. in fin. Ideò nulla fermè Comitria celebrantur, in quibus non agatur de CONTRIBUTIONIBUS, conquirente id Reverendissimò & Illustriss. Principe, Juliò Pflugio, Episcopò Naumburg, in Oration. de Ordin. Republ.

Ger.

German. Ex quibus patet, ad collectas hujusmodi imponendas non sufficere solam Imperatoris auctoritatem; sed requiri insuper Comitiale Statuum consensum. *art. 8. Instrum. Pac. 9. gaudeant. 2. vid. Schweder. introd. in l. P. part. spec. sect. 1. cap. 26. 9. 7. Joh. Limn. ad Capit. Carol. V. art. 12. verb. Auflagen und Steuer. pag. 197.* qui consensus, an unanimis esse debeat, an verò Collegialis, & per pluralitatem absolvi, latissimè ac perelegantèr tradit Limn. *tom. 5. l. P. in add. ad lib. 9. cap. 1. n. 182. pag. 361. & seqq. confer. Cæsar. Fürstener. de Supremat. cap. 41. pag. 133.* Respicendum namque hic est, an eas summa Imperii universi necessitas ac utilitas efflagitet, an verò tantùm indicentur ad utilitatem petentis? Priori casu votorum plurima concludunt, ne per unum vel alterum dissentientem salus reipublicæ seu bonum publicum supprimatur; & hâc ratione verum est, quod ait Grot. *de l. B. & P. lib. 2. cap. 5. §. 17. Natura conveniens esse, ut major pars concludat.* Posteriori verò casu singuli consentire debent, cùm in cujusque arbitrio sit, velitne in alicujus commodum quid elargiri, vel non, undè pluralitas votorum nulli hoc jus præscindere valet. *Wahremund ab Ehrenberg de Subsid. & Onerib. Subdit. cap. 5. num. 53. Besold. de arar. cap. 4. n. 2.* Exemplum hac de re prostat in præsentibus Comitibus, ubi deliberatur, an, & quantum Electori Trevirensi ratione nuperri- mæ invasionis Gallicæ, ac per eam illatæ sibi devasta- tionis, ab imperio sit refundendum. Hæc, quæ de tri- butis dicta, non intelligenda de Ordinariis, quæ certum jam modum à legibus Imperii obtinent, ut ex: gr: *Der Anschlag des Römer-Zugs/ die Kosten zu Erhaltung des Cammer-Gerichts, &c. Ordinis. Cam. Part. 1. tit. 42. & seqq. Reichs*

Reichs-Absch. zu Regensburg de anno 1654. §. dieweil auch die Jährliche Besoldungen. II. hæc enim adæquatum non sunt Comitiorum objectum; Sed de extraordinariis tantum, ex: gr: Türcken-Steuer/item quod Legationibus Imperii impendendum. R. U. zu Regensburg de anno 1598. §. dieweil aber. Modum autem secundum certam proportionem collectas indicendi, petere licet ex Rec. Imp. de ann. 1521. §. auch haben uns Chur-Fürsten conf. Rec. Imp. de anno 1542. §. und nachdem der Churfl. &c. & §. es sollen auch.

§. V.

Consestarium Juris Belli est jus Metatorum Militare, die Einquartirung. vid. Dn. Tabor. de Metat. part. I. cap. 6. th. 2. & §. quod in statu Monarchico ad Reservata Principis refert Dn. Heinr. Linck. disput. de Metat. Milit. th. 17. quæ extat ap: Ahasv. Fritsch. Vol. Nov. Iur. Publ. pag. 510. Hæc facultas in Imperio nostro German. competit Imperatori simul cum cæteris imperii Ordinibus, art. 8. Instrum. Pac. §. gaudeant. 2. vid. Clariss. Dn. Schweder. introd. in I. P. part. spec. sect. 1. cap. 26. §. 6. & Dn. Linck. dict. disp. th. 18. quibus enim bellum ipsum gerendi potestas tributa, iis quoque hoc jus hospitacionis. Huc pertinet quoque jus munimenta Imperii nomine intrâ Statuum ditiones novitèr exstruendi, ac vetera renovandi, præsidiiisque instruendi. d. l. Instr. Pac. vid. Fritsch. de Iur. Præsid. cap. 2. Citel Friederich von Herden in der Grund-Feste des H. R. R. part. 3. cap. 1. pag. 193. num. 5. Quod & singulis Imperii Statibus in suis territoriis, prout plenissimò modò jus belli possident, (Schwed. part. spec. sect. 2. cap. 16. passim.) denegari nequit; quamvis id qui-

G

dam

dam in dubium vocare nonnunquam ausi, est satisfactum
iis omninò est per ea, quæ tradit Magnific. Dn. Stryk.
Vol. 1. Disp. 24. cap. 2. num. 9. & seqq. quod tamèn meritò
limitamus, ne id fortè contrà Vicini privilegium fiat.
vid. latè Myler, ab *Chrenbach de Stat. Imp. part. 2. cap.*
77. §. 3.

§. VI.

Præcaveri bellum, totque millium innocentium
sanguini parceri quandoque potest, modò pacis cupidæ
sint partes contendentes. Variis id autèm modis fie-
ri valet, quorum tres nobis præscribit Grot *lib. 2. de I. B.*
& P. cap. 23. §. 6. 7. 8. & 9. np. Colloquium, Compromissum,
Sortem. Enim verò, ipse quidèm DEUS bellum ge-
rendum aliquandò præcipit, quod clarè patet ex *cap. 17.*
Exod. v. 13. & 14. Ios. I. v. 2. I. Samuel. 23. v. 4. & II. Samu-
el. 5. v. 19. &c. attamèn aliò modò si pax obtineri pos-
sit, ad id haud erit properandum; est enim formidabile,
plurima secum damna afferens ac incommoda; Ferdi-
nand. Vasquius *in quest. Illustr. lib. 1. cap. 9. num. 6. & 7.*
nihilque aliud, quàm lerna, sentina, ac cumulus malorum
omnium; Ventura de Valentiis *in Parthenio Litigioso. lib.*
1. cap. 3. num. 11. cum quo convenit illud Alphonsi Hi-
spaniarum Regis *lib. 1. tit. 23. p. 2.* dum bellum vocat
Estragamiento de Paz, e molimiento de las cosas quedas, e
destruimento de vas compuestas. Mittimus interim hic
latiorem prosecutionem eorum, quæ ex Grotio addu-
ximus, cum minùs absolvant rationem nostri instituti.

§. VII.

Id tamèn paucis notandum, contingere ac sæpiùs
conigisse, ut, quibus solenni aliàs bellò decertandum fut-
isse

isset, privatò quòdam certamine ac duellò litem sopierint, bellique fomem ità extinxerint, vid. Hug. Grot. *de I. B. & P. lib. 2. cap. 23. n. 10. & seqq. ibique Simon. in not.* qualem ad duellum provocationem factam intèr Carol. V. & Francisc. I. Gallix Regem, nemini non notum est; refert eandem cum omnibus circumstantiis Joh. Limn. *ad proæm. Capitul. Car. V. pag. 78. & seqq.* Veruntan èn actus ipse seu effectus non fuit secutus, quamvis Carolus, gloriosissimus Imperator, summò semper ad hoc certamen ardore flagraverit, adeoque provocatus sine cessatione statim fluvium, qui est intrà Fontarabiam & Andayam, pro loco duelli denominaverit, imò plùs septem conditiones Francisco obtulerit, ut, vel in mari, vel in terra, vel flumine, in æquo vel pedibus, colle vel planitie decertaretur. vid. elegantèr Friederic. Hortleder. *vom Anfang/fort-und endlichen Ausgang des Teutschen Krieges. lib. 1. cap. 21. pag. 90.* Quale duellum, si à Principe quodam Imperii extero Regi offeratur, non posse Regem ob personarum diversum statum excusationem habere, existimat Cæsar. Fürst. *de Suprem. cap. 23. pag. 75. in fin.* Ast, an etiàm injustitiã careat, ac in conscientia excusari possit hujusmodi duellum, præ omnibus est inquirendum: acriter hac de re Moralistæ non sine pondere invicem dimicant; Nobis pro principio ponendum, malitiam duelli in eo consistere, quod uterque in periculum mortis sese conjiciat sine sufficienti causa; contingit jam, Principem à Potentiore quodam injustè invadi, cui se imparem esse videt, ac probabiliter succumbere timet; hic, si personale duellum ad dirimendum bellum cum adversario instituat, non video, cur injustitiã quãdam incu-

fari mereatur. Tametsi enim se conjiciat in periculum mortis, sufficientissimam tamen ejusdem causam habet, dum per periculum privatæ mortis, integrum exercitum à majori periculo publicæ cladis ac internecionis liberare, ac per hoc evidenti profusioni innocentis sanguinis copiosissimi parcere contendit. Imò in hoc casu non solum licitum est, oblatum acceptare duellum, sed etiam idem offerre. *Martin. Beccan. Theol. Scholast. part. 2. tom. 2. cap. 26. quest. 4. n. 2. pag. 393.*

Caput Octavum.

De

Concursu Statuum ad Pacem Imperii nomine ineundam, Foederaque pangenda: ubi
& de Neutralitate.

§. I.

Bellum geritur, Pax ut queratur, commune dicitur; injustum namque bellum, si aliâ, quàm pacis intentione, geratur. *Grot. lib. 3. cap. 15. n. 2. & lib. 3. cap. 25. num. 2.* Quapropter omni semper conatu ad pacem inclinandum, modò id æquabilibus conditionibus fieri possit, aliàs enim bellum gloriosum pace turpi exoptabilius. *Dominic. Arum. vol. 3. l. P. disc. 17. quest. 1. pag. 699.* Nec alitèr, quàm armata manu pax capessenda, quò adversarii videant, non coactum ad pacem accessisse; undè *Didac. SAVEDRA Emblem. Polit. 98.* talem modum ineundæ pacis præscribit, indem er einen Arm mahlet/ so mit einem Schilde bewapnet/ dessen Hand

Hand sich nach den Zweig des Friedens zu ergreifen strecket/mit dieser Uberschrifft:

SUB CLYPEO:

ubi paulò post pag. 910. circ. med. subjungit:

Mit außgestreckter Hand / jedoch nicht weit von
Waffen /

Such' den Fried' allezeit / sonst möchte man dich
veräffen.

Nec pace pactâ, arma penitus sunt removenda, alioquin quibusvis denuo insidiis pax est obnoxia. Laudanda hic est Hollandorum politica prudentia, qui anno 1592 numos cudunt, in quorum priori latere ancilla, Hollandiam repræsentans, dormiens in septis suis recubabat, apertâ & elanculariâ vi infestata, cum inscriptione: *Pax patet insidiis*: In altero latere Hollandiæ repræsentatrix puella, sedens intrâ septa sua, bonis præsiidiis custodita munitur, cum inscriptione: *Tuta salus bello*. Fieri autem si potest, pax in perpetuum pangenda, prout ipse DEUS nobis exemplo est *Genes. cap. 17. v. 7.* und ich wil auffrichten einen Bund / zwischen mir und dir / und deinem Samen nach dir / bey ihren Nachkommen / daß es ein ewiger Bund sey. (quale fœdus proptèr longam ejus durationem in S. Literis vocatur ein Saltz-Bund, vid. *II. Paralipp. 13. v. 5.*) Dann ein kurzer Friede / inquit elegantèr *Savedra dict. Embl. 98. pag. 913.* dienet zu nichts anders / als daß man Holz samle / den Krieg damit wieder anzustecken / und gibe Zeit / derweiln die Spitze zu schärffen.

S. I I.

Connexa autem sunt jura Belli ac Pacis, ita, ut, qui eò gaudeat, non possit non & hoc exercere. conf. Dn.

G 3

Fritsch.

Fritsch. *vol. nov. 1. P. Exerc. 9. th. 18. in fin.* Quare id in Imperio nostro summò sibi jure vendicant Status universi cum Imperatore, adeò, ut sine eorum consensu & autoritate nulla Imperii nomine pax pangi possit. vid. Londorp. *in Act. Publ. part. 6. lib. 1. pag. 384. & seqq. pag. 719. & seqq. & lib. 4. cap. 51.* Conring. *de Republ. Imp. Germ. Exerc. 8. th. 93. pag. 459.* hocque publicis Imperii legibus dudum iis confirmatum. vid. *noviss. art. 8. Instr. Pac. Osnabr. §. gaudeant. conf. art. 13. Cap. Leopold. item R. A. zu Trier und Cöln de anno 1512. §. item ob uns. nec non R. A. zu Regenspurg. de anno 1641: §. nachdem aber 6.* Quod si tamèn Imperator ratione provinciarum hereditariarum pacem cum exteris contrahere velit, ad id alienò consensu opus non habet, per ea, quæ de Regnis tradit Grot. *de de J. B. & P. lib. 3. cap. 20. §. 3. n. 2.* Eadem, quæ de pace in antecedentibus dicta, de induciis quoque ad longum tempus censet Dnus. Schweder *in introd. in J. P. part. spec. sect. 1. cap. 27. §. 4.* exigui enim temporis inducias, quæ *Armistitia* vocari solent, ipse belli Dux pro sua autoritate concedere potest. Schweder *dict. loc. de quibus etiàm intelligimus Grot. d. lib. 3. cap. 22. §. 8.* vid. Joh. Georg. Simon. *in not. ad d. l.*

§. III.

De Fœderibus obrinent eadem, quæ §. *præced.* de pace diximus; Equidèm jam olim ad fœdera imperii nomine cum exteris pangenda requisitum fuit Statuum Imperii suffragium ac consilium, testante Schwederò *part. spec. sect. 1. cap. 27. §. 6. pag. 616.* quod post *Instrum. Pac. art. 8. §. 2.* novissimè per *Capitul. Leop. art. 10.* Sanctis-

Altissimè iis firmatum: Wir sollen und wollen auch für Uns selbst/ als erwählter Röm. König/ in des Reichs Handeln keine Verbündniß oder Einigung mit frömden Nationen, noch sonst im Reich machen/ Wir haben den zu vorhero der Chur/ Fürsten/ Fürsten/ und Ständen Bewilligung hierzu erlangt. Notantèr dixi, *Imperii nomine*; poterit enim Imperator ut Archi-Dux Austriæ, vel Rex Bohemiæ, aut Hungariæ, paritèr uti alii Status Imperii, ex proprio placito fœdera cum aliis contrahere, quod apparet ex *verbis final. dict. art. Cap. Leop.* Wann Wir auch ins künfftige unserer eigenen Landen halber Bündniß machen würden &c.

§. I V.

Fœdus, describente Grotiô *lib. 2. cap. 15. §. 3. n. 1. est pactum seu conventio, quæ fit jussu summa potestatis, ac ira divina obstringit eam, si minus stetur dictis.* quorum fœderum varias species atque effectus elegantèr prosequitur Grot. *d. l. §§. subseqq. cum notat.* Periculosa autèr quandoque remedia sunt, utilia tamèn ut plurimum, & ad tutandam libertatem & jura maximè necessaria. Cæsar. Fürsten. *de Suprem. cap. 22. pag. 70. & 71.* Interim curatè considerari debet, quisnam ille sit, cum quo fœdus pangendum? ac priùs explorandum, an & per id periclitetur ipsa reipubl. salus, imò Christianus amor ac conscientia contrahentis? Ex quo hæc denuò resultat quæstio: an Christiano liceat cum non-Christiano seu Ethnico contrà Christianum salva cum conscientia fœdus inire? Quam quæstionem variè & in utramque partem acerrimè intèr se agitant DD. vid, *Reinfiingl, de R. S. & E. lib.*

lib. 2. cl. 3. cap. 3. num. 45. usque ad fin. Joh Limn. ad Cap. Car. V. art. 11. verb. **aller Hülffe.** per tot. præprimis num 11. cui correspondent ea quæ habet Schvveder. part. spec. sect. 1. cap. 27. §. 9. Arum. vol. 1. 7. P. disc. 28. §. 50. & seqq. Si Monlucii vestigiis insistere hîc velimus, ille *livr. 1. de ses Commentaires. pag. 96.* ità inquit: *Contre son ennemi on peut de tous bois faire fleches; additque: Quant à moi, si je pouvois appeller tous les Eprits des Enfers, pour rompre la tête à mon ennemi, qui me veut rompre la mienne, je le ferois de bon cœur.*

§. V.

Ad faciliorem quæstionis decisionem casum controversiæ ità formare lubet: An in conscientia liceat uni membro Christi ad extinguendum alterum in auxilium vocare Diabolum? Vel, si adversarii ajunt, non ad extinguendum alterum, sed in extrema necessitate ad sui tantùm defensionem id licere, dico ità: An in periculo & necessitate constitutus illæsâ conscientia ad Dæmonem ejusque asleclas confugere possit? Ex quibus, quid decidendum, per se patet; Ipsa quippe S. Scriptura hujusmodi fœdera cum infidelibus damnat *II. Paralipp. 16. v. 7. 8. & 9. & cap. 19. v. 2. it: cap. 20. v. 35. 36. & 37. Esa. 30. v. 1. 2. & cap. 31. v. 1. Esdra. 9.* ac expressè prohibet *Exod. 23. v. 32. Deuteron. 7. v. 2. Esa. 8. v. 12. Jos. 23. v. 12. 13. Judic. 2. v. 2. I. Corinth. 5. v. 9, 10. & 11. &c.* quod si enim conflatur exercitus ex piis & impiis, ac ità religio sincera cum idololatria, Christus cum Belial, (prout dicit Apostolus *II. Corinth. 6. v. 15.*) & vera pietas cum superstitione commisceatur, facillimè fideles proptèr infirmitatem humanæ naturæ infici possunt. Petr. Mart. *in loc. Com.*

Commun. class. 4. cap. 16. Quamvis non ignoremus, sæpissimè id ab Imperatoribus, aliisque Regibus, quos magnò numerò refert Grot. *lib. 2. cap. 15. §. 9. n. 6. in not.* imò & superiori seculò à Francisco I. Gallix Rege contra Carol. V. fuisse factum; Verùm, quàm miserum exitum plerumque sortiantur talia fœdera, sufficienter testatur ipsum Francisci exemplum; hic enim moriens exclamavit: PERII! HEU PERII! QUOD VOLUI ESSE FOEDERATUS EI, QUI HOSTIS EST CHRISTIANI NOMINIS. Dan. Otto. *de J. P. cap. 11. pag. 399.* & Cardinali Guisio suggerente consolationem: *Omnia, inquit, misericordia mihi clausa est, qui, ut a-muli mei vel gloriam infuscarem, vel vindicarem injuriam, fœdus pepigi cum Turca, & Christianorum capita tanquàm armenta ad Machometanam servitutem vivus vidensque passus sim abigi.* vid. Georg. Schönborner *lib. 4. Polit. cap. 36.* & Sleidan. *lib. 15. comment.* Ob quod detestandum facinus in publicis Comitiiis *Rec. Imp. de anno 1544. S. und demnach.* conclusum, daß der König in Frankreich / nicht weniger dann der Türcke / für einen gemeinen Feind der Christenheit zu halten / und derowegen gegen ihn / gleichwie gegen den Türcken / zu handeln / damit andere Christliche Potentaten Ursach schöpfen möchten / sich künfftig solcher unchristlichen Handlung zu enthalten. Carpzov. *de L. R. G. cap. 6. §. 3.* confer de hac quæstione Grot: *de J. B. & P. lib. 2. cap. 15. §. 8. & seqq.* An verò idem quoque dicendum de fœdere cum infideli contra paritèr infidelem, meritò dubitamus, cum alia prorsùs subsit ratio, exemplaue dentur hujusmodi fœderum, in ipsa Sacra Script. quæ nunquam à DEO re-

H

pre.

prehensa leguntur, 1. Reg. 5. v. 12, 1. Maccab. 8. v. 20. it: cap. 12. v. 1. & 2. &c. vide latius, si lubet, Mart. Beccan. in Theol. Scholast. part. 2. tom. 2. cap. 25. pag. m. 385. cum seq. it: Andr. Rivet. comment. in Hosea. cap. 5. v. 13. pag. 639. & seqq.

§. V I.

Occasione foederum de Neutralitate obiter quædam notanda erunt; Contingit verò quandòque, ut duo Potentes vicini Principes seu Reges bellum intèr se gerant, quorum neuter sine vicini periculo vincere aut vinci potest; indèque cautè deliberandum, consultius an sit, uni se foedere jungere, an neutralitatem servare? *Neuter autèm is dicitur, qui neutrum juvat*, inquit Magnif. Dn. Stryk. vol. 1. disp. 24. cap. 2. num. 9. Periculotum sane est, esse constitutum in medio duorum belligerantium, & utrorumque societate abstinere; nam plerumque, velut granum intèr duos molares, diuturnitate belli atteruntur, tandèmque præda victoris fiunt. Elegantia hunc in finem ex Alphonso, prudentissimo Hispanorum Rege, verba refert SAVEDRA *Emblem. Polit. 95. pag. 886.* quæ & eadem ferè tradit Joh. Georg. Simon in not. ad Grot. lib. 3. cap. 13. §. 3. n. 3. *Sicut igitur, inquit ille, in media habitantes domo ab inferioribus fumò necantur, à superioribus perminguntur, sic etiàm &c.* quod idem exprimit commune Italorum dicterium: *Quali habitano nel primo palco della casa, che da quelli di sotto sono tranagliati col fumo, e da quei di sopra, con l'urina.*

Fateor, certi quicquam hac in quæstione decidi non posse, sed pro modo circumstantiarum accuratè id semper perpendi debere; prostant enim exempla, ubi neu-

tra-

tralitas proficua fuit, nec etiã desunt, ubi summè per-
niciosa. vid. interim Mart. Mager. à Schönberg *tr: de*
Advocat. Armat. cap. 7. à num. 322. usque ad n. 339. it:
Theodor. Reinkingf. de R. S. & E. lib. 2. cl. 3. cap. 3. num. 36.
& seqq. nec non Hugon. Grot. de J. B. & P. lib. 3. cap. 18.
§. 3. num. 3. &c.

Caput Nonum.

De

Concursu Statuum ad instituendum Proces-
sum banni contrà quendam Statum
Imperii.

§. I.

NEgotiis belli rectè annumeraveris jus suspen-
dendi & excludendi Statum à Voto & Sessio-
ne in Comitiiis, eumque bannò Imperii pro-
scribendi, *Limn. ad Capitul. Ferdin. III. art.*
30. n. 4. pag. 719. Ipsa enim proscriptio nihil aliud est,
quàm publicè aliquem in hostem Imperii declarare.
Hoc jus inter Imperatorem & Ordines Imperii divisum
est, idque ab Henrici V. temporibus, usque ad tempo-
ra Caroli V. (qui primus dein novò planè exemplo
hanc licentiam sibi solus sumsit) sanctissimè ab Impera-
toribus observatum. vid. Gabriel Schweder *in introd. in*
jus publ. part. spec. sect. 1. cap. 21. §. 2. pag 548. Consti-
tuuntur namque Status omnium, præprimis collegii, in
quod adscisci debent, consensu, prout *supr. part. 1. cap.*

H 2

2. §.

2 §. 7. notavimus, adeoque nil æquius, quàm ut eadem viâ exauthorentur; idque expresse etiam cautum *art. 3. Capit. Leopold.* ibi: Auch sonst jeden nach seinem Stande und Wesen verbleiben lassen/ohne unsern und männiglichches Eintrag und Verhinderung/und ohne der Chur, Fürsten/Fürsten/und Ständen vorhergehende Einraht und Bewilligung keinen Reichs-Stand / der Sessionem oder Votum in den Reichs-Collegiis hergebracht hat/ davon susseindiren oder ausschliessen.

§. I I.

Eadem ac major adhuc ratio est in dicta banni declaratione, quippè hōc modō proscriptus civilem patitur mortem, omnibusque excidit Imperii juribus, Jacob. Blum. *in Process. Camer. tit. 29. §. 85.* Quapropter noluerunt publicæ imperii leges, hanc ab Imperatore solo exerceri facultatem, sed universis Ordinibus conjunctim cum Cæsare eam commisere. vid. *art. 8. Instrum. Pac. §. habeantur. 3.* Joh. Wolfgang. Textor *in disp. ad Recc. Imp. disput. 1. th. 72.* it: Cl. Dn. Struv. *Syntagm. Jur. Civil. Exercit. 4. th. 79. pag. m. 152.* Equidem inveniuntur, qui bannum ad Reservata Imperatoris referunt, adeoque nihil præter ipsius auctoritatem insuper exigunt, quos inter præcipuus Keinfingf / qui in omnibus Cæsareæ Majestatis adulatorem nimis justō se præbet, *lib. 1. cl. 5. cap. 6. num. 146. & seqq.* Verùm fundamentis caret eorum assertio, iisque obstant, quæ ipse Imperator juramentō firmavit: Wir sollen und woll n auch fürkommen / und keines weges gestatten / das hinführo Jemanden / hohen und niedrigen

gen Standes / Chur-Fürst / Fürst / Stand oder Anderer / ohne rechtmässige und gnugsahme Ursach / auch ungehört / und ohne Vorwissen / Raht / und Bewilligung des Heil. Reichs Chur-Fürsten / welche sich des Wercks nicht theilhaftig gemacht / in die Acht und Oberacht gethan / gebracht oder erkläret / sondern in solchem ordentlicher Proceß gehalten / und vollzogen werde / wie es sich nach Aufweisung des Heil. Reichs vorauffgesetzter Satzungen / und der im Jahr 1555. Reformirter Cammer-Gerichts-Ordnung / auch darauff erfolgter Reichs-Abschieden gebührt / und was deshalb bey dem künfftigen Reichs-Tage / wie reservirt worden / NB. Von Chur-Fürsten / Fürsten / und Ständen / de modo & ordine weiter verglichen werden möchte. vid. latè Joh. Limn. *ad Capitul, Ferdin. 111. pag. m. 719. & seqq.* *Causas, ex quibus quis possit in bannum declarari, vid. ap. Dn. Gabriel. Schveder. in Introduct. in Jus Publ. part. spec. sect. 1. cap. 21. §. 3. pag. 549.*

§. III.

Hæc sunt, quæ de CONCURSU PRINCIPUM AC STATUUM CIRCA ADMINISTRATIONEM UNIVERSI exercitiô hõc Academicô tractare volumus; plura quidẽm exhibet *Titel Friederich von Herden in der Grund-Feste des Heil. Röm. Reichs part. 3. cap. 1. pag. 192. & seqq.* quorum tamẽn præcipua haud erunt neglecta; Exactiorem libentèr ac latiore materiae hujus tractationem reddidissimus, prout & illa pro pondere ac gravitate sua hoc exegisset, nisi in nimiam exerevisset amplitudinem, quam ut evitare-

H 3 mus,

QK 11 K 1964

62 caput IX. de Concurſu Statuum ad &c.

mus, extremô tantùm digitô omnia tetigimus; Sub-
miſſâ interim veneratione debitas reddentes gratias
benigniſſimo noſtrorum conatum Directori, DEO
T. O. M. ejuſque Divinam gratiam humillimè im-
plorantes, velit & impoſterùm omnia cœpta no-
ſtra ad propagandam ſui Gloriam
unicè dirigere.

T A N T U M.



ML
107

Ms. 9. II, 112.
h. 25, 3.



JUSTA

PR

STA

IMPERA

Concursum

EX SPECIALI PE
ET AMPLI

IUSTO

JOHA

RINTHELI, Ty

Silang justa



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



X

ATIS

S

R II

RIBUS

Negotia:

MAGNIFICÆ
ICÆ

DINO,

CO

d. T. An. 1689.

ic Status Imperii.

1. 5.

V. 2.

